

B



*Kreta: A Orator: 766.*













Typis Wolfgangi Endteri.

Georg Walch fecit.







GEORGI RICHTERI

JC, Reipublicæ patriæ Noriber-  
genſi, aliisq; Imperii Ordini-  
bus à Conſiliis,

ORATIONUM

DECAS ALTERA,

*Quas Pro-Cancellarius Aca-  
demie Altorphine, in publicis Doctorum &  
Magiſtrorum renunciationibus, pro  
more Lycei iſtius, ha-  
buit.*

Cum Auctario,



GEORGIUS RICHTER

Publicanus  
Cancellarius

ORATIONES

DE

Pro-Cancellario  
Cancellarius  
Cancellarius  
Cancellarius

Cancellarius





*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimisq̄,  
Viris,*

DN. LUCÆ FRIDERICO BEHAIM VII viro,

DN. ALBERTO PÖMERO,

DN. GEORGIO IM HOF, &

DN. JODOCO CHRISTOPHORO KRESSIO à  
Kressenstein., Inclytæ Reipublicæ  
Noribergensis Senatoribus & Scho-  
larchis prudentissimis, meritissimis,

*S. P. D.*

GEORGIUS RICHTER.

**A**lteram hanc Orationum  
Decadem publicare mihi  
cogitanti, subdubitare con-  
tigit; fatendū enim est; num eam  
Magnifico Nomini Vestro inscri-  
bere deberem. Succurrebat enim,  
cū Decadem priorem Ordini  
Vestro Amplissimo ante sexenniū  
dedicaverim, forsan ingrata fore,  
quæ nunc sequitur, hanc alte-  
ram: quia voluptas, *quam commendat  
varior usus*, satietate languescit, &  
qui sæpius eam percipiunt, non-

) ( 3

nun-



nunquam jucundius eâ carent,  
quàm fruuntur. Videbam deinde;  
imò hodieq; video ferè quotidie,  
ejusmodi munuscula Virtuti  
stræ offerri frequentissimè, ac  
ut tot ad Vos sæpè deferantur,  
*quot gutta Siculo mari, aut,*

*--- quot Oceani latitant sub gurgite pisces,*

In mentem etiam veniebant alii  
Imperii Ordines Illustrissimi, qui  
operâ meâ qualicunq; consulendo  
utuntur; quibus propterea publi-  
cam quandam significationem à  
me deberi, cogitabam. Sed, quod  
fatendū est mihi denuò, cū rem  
omnem ponderarem diligentius,  
& nunc in hanc, nunc in illam par-  
tem mecum volverem, tantum  
abfuit, ut me, quas modò dixi, ra-  
tiones movere potuerint in con-  
trarium, ut poti⁹ illæ ipsæ animum  
hunc, sponte sua ad hoc, quod de-  
cet, inclinantem magis magisque  
confirmarint. Etsi enim, ut ulti-  
mam



mam dubitandi rationem remo-  
veam primò, aliorum quoq; Ma-  
gnatum bonas literas amantium  
beneficia, in me extant trabali cla-  
figenda, quibus etiam publico  
redhostimento, quod debeo, con-  
testari, si DEO vitam prorogare vi-  
sum fuerit, nō supersedebō: nulla  
tamen, vel magnitudine vel mul-  
titudine illis paria, ne dicam supe-  
riora, deprehendebam, quæ à Re-  
pu<sup>l</sup> patria, cujus fulcra nunc  
DEUS vos constituit, tot jam annos  
in me collata sunt cumulatissimè.  
In agro etiam Vestro, Vestrisq; au-  
spiciis cū fructus hi posteriores,  
non minùs quàm priores, aurâ di-  
vinâ adspirante, provenerint, ne-  
mini justius, quàm Virtuti Vestræ,  
eos deberi, iterum intelligebam.  
Prioris verò Decadis consecratio,  
quam allegavi, quei, quæso, alte-  
ram hanc impediatur, vel dissuade-  
at; cū potius jure suo etiam ex-  
) ( 4                    poscere



poscere queat ? Ut enim, qui tunc  
erant Academiae Curatores vigi-  
lantissimi, interea vel ad altiora  
Reip. munia sunt evecti, vel, Nu-  
minis providentiâ, ex hac mortali  
vita ad æternas Beatorum sedes  
translati: ita Vos, quibus illorum  
loco, Ecclesiae, Academiae & Scho-  
larum salus concredita est, & offi-  
cii lampas, Græcorum olim more,  
in manus quasi tradita, Spartam  
hanc, quam nacti estis, eximiam  
exornare omni curâ incumbitis,  
successores tantæ dignitatis lauda-  
tissimi, dignissimi. Itaq;

*Nemo ex hoc numero mihi nõ donat<sup>9</sup> abibit:  
Omnibus hic erit unus honor.*

Aliorum verò exempla memo-  
rata, plurima licet & propemo-  
dum quotidiana, nullo planè mo-  
do efficere vel possunt vel debent,  
ut ego ab illis secessionem faciam.  
Quin potius, ut in Virtutum Ve-  
strarum observantiâ constans per-  
siste-



sisterem, movebant, impellebant,  
postulabant ampliùs. Nam hæc  
ipsa tam multa, quæ nunquam nõ  
Vobis offeruntur eiuſmodi dona-  
ria, quid aliud, quæſo, sunt, quàm  
testimonia publica amoris Vestrī  
haud vulgaris, quo literas huma-  
niores & liberales disciplinas, ipsi  
literatissimi, magna laude proſe-  
quimini? & quid aliud, nisi meri-  
torum Vestrorum vestigia clarif-  
sima, quib⁹ doctrinarum cultores  
accumulare semper cordi Vobis  
est? Cui laudi Vestræ, quam ampli-  
ficare pro virili & debeo & volo,  
non assurgere velle, & concentum  
tot laudatorum non juvare animi-  
t⁹, certè piaculum mihi sit, ne quid  
gravius. Cum primis verò Virtu-  
tem illam Vestram singularem,  
cæterasque superantem cunctas,  
etiam atque etiam apud animum  
meum reputabam, qua seculo hoc  
deplorando, Reipublicæ munia  
) ( 5 fusti.



sustinentes, cum PATRIBUS salutem illius concordi animo conservare studetis unicè; ne, ut Virgo illa apud Plutarchum, inter violentos rivalium complexus, miserè animam exspiret. Quod ut eò feliciùs obtineatis, sermunculos Thessalorum, vitiaq; popularia asperrantes, nō tantùm in aliis, scuto bonæ conscientie tectis, ut nihil efficere valeant, dextrè efficitis, sed ipsi quoq;, si audire quandoq; cecidit, (quod quasi fatum quoddam esse solet illorum, qui arduis Reipubl. negociis adhibentur) excelso contemnitis animo, & benè agendo, mentem ad DEUM erigitis; hoc caventes sedulò, ne manum aratro semel admotam aut retrahatis, aut in operis incepti deficiatis cursu. Nimirum, gubernatoris instar, fluctus irati maris undiq; assilientes, seq; tandem frangentes ipsos, forti pectore negligitis,

tis,



tis, dum manum in clavo habetis, oculos in  
astris; non nescii, quod, qui, ut Par-  
thi, fugientes tela spargunt, non  
magis in infantis fama labem re-  
linquere possunt, quàm in flumine ve-  
stigiū cymba. Verūm, quia Virtutis  
istius Vestræ, omni laude superio-  
ris, mentio fusior fieri nequit, quin  
& sinisteritatis, quam dixi, memo-  
ria refricanda veniat, currū hunc,  
pressis quasi habenis, intra has or-  
pillas contineo. In Orationiō<sup>is</sup> ipsiis,  
quas auditas iemel, dignas quoq;  
judicatis, quæ legantur, nō volu-  
ptatem solūm rerum varietate, sed  
& usum pondere quæsiui, sine fu-  
co, sine cerussa; dictionem sequut<sup>ur</sup>  
Romanam, non ampullatam, non  
obscuram, sed castam, sed perspi-  
cuam. Immò obscuritatem omnē,  
tanquam scopulum, fugi, probè  
gnarus, nihil ineptius esse, quàm  
talem affectare stylum, quem di-  
vinare magis, quàm intelligere fas  
sic



fit, Qui verò legendis facundiæ  
floribus occupati, eloquentiæ ac-  
curatiùs elaboratæ splendida or-  
namenta desiderant, ejusmodi  
Veneres in his sylvis non est, quod  
velint pervenarier. Ad hunc enim  
scopum collimare, nec temporis,  
nec officii ratione mihi licet; ubi  
illud suffurari, hoc non negligere  
necesse habeo; ita, ut, quod Seneca  
ait, in cisis nonnunquam, hoc est,  
etiam aliud agendo scribendum  
mihi sit & dicendum. Atq; sic illos  
quoque, qui pecoris Arcadici acu-  
mine præditi, etiam quæ nesciunt,  
fugillare audent, ut famæ vespil-  
lones, contentu ulciscor, quia &  
*hæc convitiarum tela, spreta exolescunt,  
si irascaris, agnita videntur.* Omnium  
verò morsibus & livori, Vestram,  
VIRI NOBILISSIMI, eruditam pru-  
dentiam oppono; quos DEUS lon-  
gum fervet incolumes bono pu-  
blico. Dabam ad d. V. Kalend. A-  
prilis. A. C. cl̄o Is C XLIV.



V I R O

*Nobili, Amplissimo, Excellentissimoq;*  
Dn. GEORGIO RICHTERO, Jcto  
Eminentissimo,  
*Liberæ Imperialis Reip. Norimbergicæ, & aliorum*  
*Imperii Statuum*  
Confiliario meritissimo,  
*Universitatis Altorfinæ Procancellario*  
*Magnifico & c.*  
Dn. & Amico magno,  
S. D.

JOHANNES MICHAËL DILHERRUS,  
SS. Theol. & Phil. P. P.

**S**i Richtere, *velim Te Nestora dicere; verum*  
*dixero: Consilio es Nestor & Eloquio.*  
*In dubiis quoties poscit Respublica rebus:*  
*promptus es, utibiles indigetare vias.*  
*Dicentem audivit, stupefactus flumine, Cæsar,*  
*Rex, Electores, Cõrcla serena Ducum.*  
*Solventem linguam Norica admirantur Athena,*  
*Romanãq; Virum ex urbe redisse putant.*  
*Auribus hic nil do: vero dixisse minora*  
*me, dicent, quotquot gemmea scripta legent.*  
*Addent, si faveant Virtuti: vivat hic alter*  
*ætatem Nestor Nestoris alterius!*

---

ALIUD.

**C**ontinuos inter strepitus & pondera rerum,  
Dum Themis hinc Patrum Te vocat, inde Du-  
cum,  
*Maxime vir, portus studiorum atq; aura meorum,*  
*Vel breve momentum quis superesse putet,*  
*Vt liceat per scripta Tuas extendere laudes,*  
*Et Suadæ nobis pandere sacra Tuæ?*  
Non dicam Iliadem morborum, incommoda centum,  
Queis premitur sancti pectoris hospitium.

Ar



At superest, quod nullus habes. Velocior Euro  
Temporis anticipat mens generosa fugam;  
Quasq; negat Phœbus, Solertia fabricat horas;  
Et requiem nescit, quæ datur ulla, Quies.  
Nempe fatigatæ sunt respiramina mentis  
Hæc, quibus assurgunt nomina magna Virum,  
Ipse docet suavi saturatus nectare sermo,  
Et Floræ passim semina sparsa manu,  
Quam non adductæ sint hæc conamina frontis,  
Quam magis in dulci nata quiete Tibi!  
Ergo ego quem memorem? *Studiorum laude celebres*  
*Desidia peragunt otia vestra reos.*

*Observantia testanda erga Magni-*  
*ficum Dn. Auctorem, Patronum*  
*incomparabilem,*

f.

Christophorus-Adamus Rupertus,  
Histor. P.P.

---

ALIUD.

Belgarum, Anglorum, Gallorum oracula Natus  
Consulit, inde sibi famam laudesq; perennes  
Concilians, Patriæ columen decusq; futurus  
Speratum. Magnus Patriæ pro ritè labore  
Defunctus pridem sua nunc oracula pandit,  
Queis Natus, queis nos, queis & Gens extera gaudet.  
Quam solidam RICHTERE, feres Amplissime  
laudem?

Plurima Theiologos, sed non injurius ulli,  
Adducis, quæ scire juvat, latèq; patentis  
Illustras Iuris titulos, & scita Medentum,  
Et quæ Philosophæ spectant secreta palastra.  
Ergo Theiologi pro Te pia vota precesq;  
Fundant, agnoscantq; Ducem Te Iure periti,  
Restituantq; suo corpus fidâ arte vigori  
Exhaustum Medici, quin unâ voce beatam  
Dicant Philosophi, quam Tantus Tu colis, Urbem.

Magnifico & Ampliss. Dn. Socero fi-  
lialis observantiæ testandæ  
f. Altorphi

M. IOH. FABRICIVS,  
Eccl. ib. Diac.



# INDEX ORATIONUM

## Decadis secundæ.

- XI. De Nimitate Philosophiæ laudabili.  
XII. De Cognomine Filii DEI, ADMIRABILIS.  
XIII. An juxta sententiam & exemplum Platonis, Viro bono & sapienti Respublica, ob ejus vitia, & tempore duriore, sit deferenda?  
XIV. De bello, & jure armorum naturali, pro ERASMO.  
XV. De virtutibus Ethnicorum, pro EODEM.  
XVI. De stomacho Ciceronis in JCtos.  
XVII. De Philosophia simulata.  
XVIII. De Doctoribus juris, quos Lutherus viperas Theologorum appellavit.  
XIX. De Medicis, quos dicunt, parabolanis. Ad l. 18. C. de Episcop. & Cleric.  
XX. De amabili Jurisprudentiæ & Philosophiæ concordia.

## AUCTARIUM

Ejusdem Epistola, Orationis loco scripta An. clæ Io CXXXII. quo tempore renunciationi XII l. Philosophiæ Magistrorum, ob Bellonæ vim, interesse non licebat.



M. T. C I C E R O  
lib. I. de Invent.

**M**ibi videntur cætera studia recta atq;  
honestæ per otium concelebrata ab o-  
ptimis enituisse: hoc verò (dicendi) à ple-  
risq; eorum desertum obsolevisse eo tempore,  
quò multò vehementiùs erat retinendum, &  
studiosiùs adaugendum. Nam, quò indigniùs  
rem honestissimam & rectissimam violabat  
stultorum & improborum temeritas & au-  
dacia, summo cum Reipublicæ detrimento, eò  
studiosiùs & illis resistendum fuit,  
& Reipublicæ consulen-  
dum.

ORA-





## ORATIO I.

De munere Pro-Cancellarij Academiae sibi demando, & statu temporum calamitoso.

Habita XXIIX. Junij, festo Divis Petro & Paulo Apostolis sacro, Academia Panegyrico,  
M. DC. XXXI.

Cum JOHANNES GIWANSKY,  
Doctör Juris renunciaretur.

**A**nclytissima Reipublica Noribergensis Senatores Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi, Curatores Academiae gravissimi; Rector Magnifice; Illustres & Generosissimi Barones; Viri Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, prestantissimi, Theologiae, Jurisprudentiae, Medicinae, Philosophiae, aliarumque optimarum artium Doctores & Professores celeberrimi; Tuque Studiosorum corona genere studiisque nobilissima, florentissima; hospites item

A

tem.



*tem vario titulorū honore Spectatissimi, Auditores omnium ordinum honoratissimi.*

**S**I vel sponte meā hanc provinciam suscepissem, vel auctoritati eorum, quorum nutus pro imperio semper mihi fuit, hoc est, Nobilissimorum Academiae Curatorum, qui hoc oneris mihi nequicquam deprecanti, rato Amplissimi Senatus jussu imposuerunt, diutius refragari licuisset; sanè commoverer nunc initio dicendi vehementius. Imò vererer valdè, ne dicturo mihi, praesertim ex hoc loco magnifico, qui antehac non nisi eloquentissimorum virorum voce personuit, in poenam quasi temeritatis, vel sermo refugo pavore deficeret, vel labra concurrerent dentesque colliderentur, vel lingua titubaret, voxque ipsa stupore faucibus interclusa hæreret. Et enim magnum esse onus pariter atque munus, suscipere & profiteri, se esse, omnibus silentibus, unum magno in conventu hominum audiendum, non tantum olim apud M. Tullium me legisse memini: sed illud quoque probè novi, etiam disertissimos quandoque ante ora vultusque virorum dignitate, eruditione & facundiā gravif-

gravif-



gravissimorum, ut quæ Oratori etiam exercitatissimo oculos perstringere, mentisq; cogitationes confundere solent, de repente obmutuisse. Certè, tale quid Demostheni olim in Macedoniâ, & Theophrasto Eresio in Areopago verba facientibus: at quantis oratoribus? evenisse memorat Ælianus; quorum illum Athenæ mirabantur,

*Torrentem & pleni moderantē frena theatris;*

hunc verò, cùm antea Tyrtamo ei nomen esset, Aristoteles, ob divinam elocutionem, Θεόφραστον appellavit, & M. Tullius delicias suas dixit. Pericles quoque, Atheniensium Orator licet exercitatissimus, quiq; non loqui aut orare, sed coruscare & tonitrua ciere credebatur; tamen non solum timidè ad dicendum semper processisse, sed quoties in publicum prodiret, subinde se novis quoque votis obligasse perhibetur, nunquam non sollicitus, quo favore esset peroraturus. Eandem fortunam inter Latinos, eosq; recentiores, Franciscum Barbarum, virum non minus eloquentiâ quàm dignitate maximum, aliquando expertum esse accepimus. Quin & ipse M. Tullius,



lius, eloquentiæ Romanæ princeps incomparabilis, fulmen & terror audientium sine pari, nunquam absque singulari trepidatione, perinde quasi puer singultiens, non tantum exordiri consuevisse dicitur, sed & vix titubandi tremendiq; finem fecisse, profectâ jam oratione & au-  
 gescente. Nimirum liquidæ veritatis est, quod L. Crassus in Tusculano, cum Q. Mutio, M. Antonio, aliisq; Romanæ eloquentiæ studiosissimis (sub platano patulis diffusâ ramis) ad Socratis imitationem disputans, ingenuè fatetur; fieri solere, ut Oratores etiam gravissimi, exalbescant in principiis dicendi, & totâ mente atq; omnibus artibus contremiscant. Quid igitur mihi non metuendum maximè? qui olim quidem in hac aliisq; Germaniæ, Belgij, Angliæ, Galliæq; Academiis, præter Jurisprudentiam, Philosophiæ cum-primis & humaniorum literarum studia impensè amavi; nunc verò per annos plures Reipublicæ laboribus, tam domi, quàm in legationibus, præsertim tempore hoc ærumnoso, ita constrictus teneor, ut ad amœniora illa studia & politiora, antehac mihi gustata magis quàm imbi-

imbi-



ORATIO I.

5

imbibita, vel nunquam, vel certè rarissimè divertere liceat. Atq; hæc mea, sollicitudo dicam, an consternati animi trepidatio? eò magis augefcit, cùm apud animum meum reputo, in quorum locum, sim suffectus; qualesq; ingenio, eloquentiâ & authoritate fuerint, qui ante me officio hoc Pro-cancellariatus, ut vocant, magno desiderio sui relicto, sunt perfuncti. CAMERARIOS dico, REMOS, OELHAFIOS, viros ut autoritate longè clarissimos, ita ætate multoq; rerum usu eximios; JCtos, Historicos, Oratores præstantissimos: in quorum censu si me censeriposse putarem, næ, ipse mihi Suffenus essem, aut cum Maximinicaligis, quod dicitur, ineptirem. Tantum abest, ut animi hunc pavorem, pro ascititio difficultatis obtentu, aut virium extenuationem istam, pro ostentationis vafricie, quæ scholarum umbraculis placere novimus, quisquã accipere aut debeat aut possit. Inprimis autem duriorẽ mihi hunc locũ facit mors illius, qui vivus summas etiam difficultates nostras leviores reddere solebat: OELHAFIUS, inquam, noster, heu! non amplius noster; vir ut de multis Imperij

A 3

Oridni-



Ordinibus, sic de patriâ Republicâ potissimum præclarè meritis, scientiâ & usu Juris tam publici quàm privati summus: cujus amissi meritò nunquam non venerabiliter recordamur, cùm hoc officij genere nihil sanctius habeat superstium reverentia. In quo viro, post incredibilem ejus diligentiam, cum singulari acumine ingenij rarâ societate conjunctam, illud ego semper admiratus sum maximè, quòd ad exemplum Servij illius Sulpitij, quo præstantiorem, cum vixisse negat Cicero, non magis Juris Consultus, quàm Justitiæ esse voluit; dum illa quæ proficiscuntur à legibus & à jure civili, semper ad facilitatem æquitatemque retulit; neque instituire litium actiones maluit, quàm controversias tollere. Quam ingenij sui laudem haud vulgarem, pio illo erga Rempublicam affectu amplificavit, quando omnibus in juvandâ Republicâ, præterquam sibi satisfecit: quod ipse ego, non ita pridem à legatione quadam domum reversus, & ab Amplissimo Senatu ad eum lecto affixum, audiendâ illius sententiæ ergò, in causâ quadam  
 gra.



gravissimâ missus, paucis diebus antè  
quàm expiravit, non sine lacrymis co-  
gnovi. Hujus tanti viri obitu, hoc præ-  
fertim tempore, quo consilio ipsius ma-  
ximè indigebamus, quantum vulnus ac-  
ceperit Respublica nostra, carendo ma-  
gis intelligimus, quàm ut eloquendo  
declarare satis valeamus. Ejus igitur  
virtutes animique dotes singulares dum  
perpendo, & ipsius vestigiis in hoc mu-  
nere amplissimo ingrediendum mihi es-  
se cogito, fieri non potest, quin meo me  
modulo metiens, oneris difficultate,  
ceu Patroclus Achillis hastâ, perterrear;  
& cum Antonio Crassi, Tullio Pompeij &  
Hortensij successoribus, tenuitati meæ  
valdè timeam. Imò cum Plinio Secundo,  
hoc unicum excusationis usurpem, nisi  
superiorum reverentiæ me subtrahere  
nefas esse duxissem, & inobedienciæ re-  
ligionem essem veritus, hunc locum non  
conscendissem. Ut enim, quod præclarè  
idem inquit Plinius, grave est bono prin-  
cipi succedere: ita quoq; arduum esse me-  
ritò putamus, viris eruditione & auto-  
ritate summis, ordine quasi succentu-  
riari.



riari. Accedit, quòd alij Reipublicæ nostræ à consiliis viri excellentissimi, ut ætate, ita scientiâ, usu & autoritate eminentiores me longè, tamen provinciam hanc oblatam pertinacius à se deprecari non dubitarunt. In quorum excusationes, Senatui probatas, quamvis penitus inquirere meum non sit, tamen animum hunc fluctuantem, eademq; recusationis diverticula quærentem, eò magis dubiũ reddiderunt. Nam si dicendum quod res est, fatear oportet, me non parùm hæsitasse initio, humerosné oneri impares subducere, an verò conando submittere deberem? Obstabat enim maximè virium mearum mihi omnium optimè nota imbecillitas, studijque inchoati potius quàm eruditi conscientia; quæ animum mandatis Superiorum parendi assuetum licet, tamen omninò retrahere nitebantur. Cogitabam etiam, quàm vel nihil eloquentiæ unquam litassem, vel si quid studij olim, arti omnium difficillimæ impendissem, id tamen tam exiguum fuisse, ut postea forensium rerum mole, Reique publicæ negotiis suppressum, ad segetem maturiorem pervenire, messemvé dare non

non



non potuerit. Neq; me fugit, quàm difficulter Musæ, ut virgines delictiores, semel insuper habitæ, in gratiam cum desertoribus suis redire soleant; adeò, ut quod Cæcina ad Ciceronem scripsit, metuendum mihi sit, ne ob studium dicendi fractum, adhuc styli poenas dem. Ingerebant se juxtà, graves horum temporum calamitates, quibus, quod Poëta ait, per ignes eundum nobis est suppositos cineri doloso. Quin & ante oculos obversabantur in dies magis magisque succrescentes pestes publicæ: quæ ut in Republicâ omnem prudentiæ vim & industriam eludere: ita bonis literis & humanioribus studiis, sine quibus nec prudentia adquiri, nec Respublica ritè administrari potest, interitum minari videntur. Non sum nescius etiam, quid vel nomen Cancellarij (quod tamen Latinorum aures non ferunt) ab eo cui imponitur, quasi jure suo exigat. Quanquam enim ea de hoc munere nostro somniare, quæ Guilielmus Budæus, Gallorum Jctorum princeps, & nationis suæ gloria singularis, in Cancellario suo, cancellis nimium arctis circumscripto, requirit, nihil aliud esset, quàm



Herculis cothurnos infanti aptare : utpote quem legum præsidium, juris asy- lum, morum institutorumq; aram, æqui boniq; columen, caput ac verticem justitiæ, honorum omnium antistitem, normam cunctorum jura reddentium, oraculum sanctioris interiorisq; consilij, hominem omnium horarum, promũ condum clementiæ benignitatisq; principalis, esse debere contendit; in quo etiam, uno acumen Dialecticorum, sententias Philosophorum, verba Oratorum, memoriam Jctorum, ingenium Portianum pariter ad omnia versatile, acre, impigrum, indefessum esse oporteat; quemque solã innocentia conscientia gloriãq; virtutis contentum, perpetuum sibi amœnioris vitæ atq; omnis hilarioris convictus exilium consciscere necesse sit; & cujus officium, summum hodie sit honorum fastigium, ultra quod nihil sperare liceat, homini quidem privato & togato, quasiq; quoddam summa quæque ambiens animi solstitium; & quæ alia plura, vir summæ dignitatis atque eruditionis, quasi ideã quandam fingens, cumulativè adstruit: tamen si parva magnis, inferiora su-

ra su-



ra supremis, & imperfecta perfectissimis componere fas est, nemo vestrum ignorat, quid etiã in hoc nostro munere, post Rempublicam, Academia desideret, quantumq; ante me illi, quorum animæ nunc cælo sunt receptæ, publico cum emolumento, nominisq; sui laude immortalis præstiterint. Ita animadvertitis credo, Auditores, quòd quæ singula vel peritis dicendi magistris timorem facere consueverunt, ea me infantissimum, obruant ferè universa. Verùm has inter animi titubationes ad DEUM respiciens, qui, vel Ethnici Oratoris, animo & verbis apud Romanos maximi testimonio, humana regit vestigia, & cuius ope atque auxilio multò magis actiones nostræ, quàm ratione hominum, & consilio gubernantur; mandatis illorum obtemperavi, quorum imperia, nunquam non æquitate & prudentiã condita, detrectare religio nobis est; Archidami illius Spartanorum regis memor, qui in gravissima deliberatione apud Thucydidem, hanc esse patriæ disciplinam ait, ut cives studeant sine tergiversatione obtemperare:

re:



re: & quod Attica Siren, Xenophon, de iisdem Spartiatis memorat, gloriæ esse, humiliter se gerere in obtemperando suis præfectis. Et sanè durum mihi videbatur, illis negare quicquam, quibus omnia me debere noveram. Malui ergò parendi modestiæ locum dare, quàm à studio obsequendi, cuius me hætenus nunquam poenituit, vel tantillum remittere. Et quandoquidem aut indiserti, aut ingrati fama subeunda mihi erat, satius esse arbitratus sum, eloquentiam potius, quàm pietatis officium in me desiderari; contra virium invaliditatem, Ausonij illo, ad Theodosij Imperatoris mandatum, me erigens:

*Invalidas vires ipse excitat, & juvat idem,*

*Qui jubet: obsequium sufficit esse meum.*

Atq; hoc meum obsequendi studium cum vos non ignoretis, Patres amplissimi, Senatores prudentissimi, Vestrum erit, favore & benevolentia eum non destituere, quem mandatis Vestris parere voluistis; ne muneris hujus impositione melius jubere posse, quàm favere videamini. Mihi verò etiam atque etiam curæ erit, omni animi contentione operam dare,

dare,



dare, quò curas vestras, quas ad clavum  
sedentes naucleri vigilantissimi, non tan-  
tùm in regendâ navi Reipublicæ patriæ,  
(cujus vos lumina & ornamenta singula-  
ria DEUS constituit) sed etiam in guber-  
nandâ hac Academiâ, magnæ illi navi vel-  
ut adnexâ cymbulâ, nunquam non im-  
penditis, pro virili, ut navitam decet in-  
dustrium, sublevare possim: præsertim,  
quando nunc mari vehimur turbato, quo  
tunes stridunt, arbor curvatur, guberna-  
cula gemunt, & contra naufragij minas,  
Numinis manu adjuvice opus nobis est  
ex machinâ. Vobis etiam, Rector Ma-  
gnifice, cæteriq; Doctores & Professores  
honoratissimi, Vobis item Studiosi gene-  
ris splendore, artiumque elegantiorum  
cultu ornatissimi, Vobis, inquam, omni-  
bus & singulis, certò persuasum esse ve-  
lim, me in administratione muneris hu-  
jus, quod non tam ipse suscepi, quàm, ut  
audivistis, imponi mihi passus sum, nihil  
unquam antiquius habiturum, quàm ut  
reipsâ Vobis testificer, Academiam hanc  
inclytam, quam ut matrem dulcissimam  
à pueris colui atq; amavi, oculis etiam-  
num chariorem mihi esse, & ad finem  
usq;



usq; vitæ fore charissimam; proq; ejus incolumitate, ne quid detrimenti capiat, me nunquam non, Rectoris omnium supremi, DEI Opt. Max. auxilio suffultum, invigilaturum esse. Quin & palam demonstraturum, etsi prædecessoribus meis, Viris incomparabilibus, eruditione & autoritate impar sim multis parasangis, tamen cultu & amore erga hoc Lycæum, me nemini secundum esse; id quod ipso facto poti<sup>9</sup> declarare malo, quàm sermone proletario ambitiosè polliceri.

Atque his in auspicio muneris nostri præmissis, proximum esse animadverto, pro more in Academiâ nostrâ haud temerè huc usq; recepto, antequâ ad id accedam<sup>9</sup>, cujus causâ potissimùm convenimus, proferre aliquid, quod temporis locoq; congruens, & delectare simul possit & prodesse. Quam majorum consuetudinem tantum abest ut negligendâ mihi putem, ut potiùs cum magno illo literarû principe, Philippo Melanchthone, Academias ceu curias atq; synodos quasdam esse existimem, ubi in actuum ejusmodi panegyricorum solennitatibus, multa de Ecclesiâ, de Imperiis, de Republicâ

blicâ



blicâ moneri solent: in quibus etiam sæpè  
querelas nostras exponimus, DEUM invo-  
camus, & sententias dicimus; perinde ac  
si in Senatu, aut in confessu Synodi Ora-  
tio haberetur; libertate longè majori,  
quàm à multis seculis synod<sup>o</sup> habuit ulla.  
Ita tamen, ut benevolentiam Vestrâ potissi-  
mùm infacundiam meam sublevatum,  
iri confidam, quam veluti auram faven-  
tem, implorandam mihi video vel maxi-  
mè: cùm & Demosthenes, ipse ille norma  
Oratoris & regula, ( ut Plinius eum appel-  
lat) & quo dicturo concursus ex totâ Gre-  
ciâ fieri solebat, facundiam suam multæ au-  
ditorum benevolentie indigere professus  
sit. Consuetudini autè isti Academicæ, dū  
me conformare cogito, animo quidem,  
succurrit, in more institutoq; positū esse  
dicentibus, ut in quo genere doctrine, ho-  
nores conferuntur, ex eodē aliquod ora-  
tionis argumentū desumant. Etsi verò Jus,  
quod profitemur, civile, pro ubertate suâ  
facilè suppeditare nobis possit, quod actui  
huic, quo Themidos alumnū, mox Docto-  
rem renunciandū, ordo Ictorum produ-  
cit, conveniret; tamē quia hæc tempora,  
in quæ ætas, proh dolor! nostra incidit,  
& qui-



& quibus ingestos quotidie luctus, callo quodam obduratæ patientiæ sustinemus, ita nobis inter curas Reipublicæ quotidie obversantur, ut præsentis status contemplatione, alias meditationes aut vix permittant, aut certè non parùm remorentur: hac vice loco argumenti amplioris, tempora hæc, quæ dixi, statumq; Germaniæ, patriæ cheu! afflictissimæ perpendere, & pectus quasi laxare gemitibus visum est. Nostra verò hæc cum antiquis conferens tempora, illius in mentem mihi venit, quod Servius Sulpitius, Jctus summus ( ut & hac ratione artis nostrę ducem sequamur) eo tempore, quo C. Julius Cæsar in Hispaniâ, contra Pompeij generi sui liberos bella gessit, ad Ciceronem, exorbitu filię animo dejectum, ita scripsit: *Ex Asiâ rediens, quum ab Æginâ Megaram versus navigarem, cæpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, antè Megara, dextrâ Pyræus, sinistrâ Corinthus: quæ oppida quodã tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. Cæpi egomet mecum sic cogitare. Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interijt, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet,*

debet,



debet, quum uno loco tot oppidorum cadavera  
 projecta jaceant, & quæ sequuntur.  
 Hæc Jcti verba, melioribus signanda la-  
 pillis, eo magis me defixum tenent, quod  
 non tantum, dum oppida florentissima  
 prostrata atq; diruta, & cadavera eorum  
 projecta memorant, miseræ Germaniæ  
 nostræ conquassatam faciem repræsen-  
 tare mihi videntur; sed etiam, quia an-  
 sam mihi præbent, DEUM Opt. Max. in li-  
 mine officij eò ardentius pro felici auspi-  
 cio & salute perenni interpellandi; id  
 quod antiquæ religionis & pietatis sem-  
 per fuit. *Ad omnes enim actus*, inquit ad  
 imitationem Apostoli divini, Imperator  
 noster Justinianus, *in nomine Domini nostri*  
 JESU CHRISTI *progrediendum est semper:*  
*et tum demum benè universa geruntur si rei*  
*principium fiat, decens et amabile Deo.* Id  
 quod etiam ipsis Echnicis in usu fuit, qui  
 Pausaniâ teste, boni augurij & ominis gra-  
 tiâ, in cujusq; operis vestibulo, θεός θεός in-  
 geminarunt. Et Pythagorei, inquit Ci-  
 cero, omnibus rebus agendis, QUOD BO-  
 NUM, FAUSTUM, FELIX, FORTUNATUMQ;  
 ESSET, præfabantur. Plinius quoq; jam  
 supra nobis laudatus, panegyrico suo ad

B

Tra.



Trajanum, hæc pietatis verba præmittenda duxit: *Benè ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium, à precatationibus capere: quod nihil ritè, nihilq; providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Imò non Plinium tantùm, sed & Aufonium, aliosq; declamatores præstantissimos, Panegyricis suis, vel in exordio, vel sub finem, vel utrobique preces divinas sæpius intermiscuisse novimus. Quod idem quoq; in Historia sua Romana observavit Velleius Paterculus. His vestigiis nos Christianos hoc tempore, eò magis insistere par est, quòd non tantùm homini Reipublicæ fervienti (quæ tamen libertas vera est) inter multiplices distractiones, alia quàm ejusmodi quotidie sub manu nascentia cogitare, ne dicam elaborare, nunc non licet: sed etiam, quia præsens Germaniæ nostræ discordiâ tumultuantis status, vel hoc unicum à nobis efflagitare videtur, ut DEUM propitium illi reddere, precibus nostris nunquàm lassati cessemus. Ecquis enim est, Auditores, qui non vel audiat, vel videat, vel sentiat, ut hoc tempore bellorum intesti-

norum



norum fluctus, communem hanc patri-  
 am nostram commoveant? ut undiq; ar-  
 morum fulgor, strepitus, terror; omni-  
 um oculos, aures, animos; præstringant,  
 obtundant, consternent? ut gemitu & la-  
 mentis circumcirca omnia personent? ut  
 metu ac pavore impendentium malorū,  
 omnes incolæ contremiscant? ut opulen-  
 tissimæ ac munitissimæ urbes occupen-  
 tur, bona diripiantur, ciues aut expellan-  
 tur, aut occidantur, templa ipsa spolien-  
 tur? ut miseri agricolæ ad prodendum,  
 thesauros, quos non habent, immaniter  
 excarnificentur? agri verò adeò deva-  
 stentur, ut quibusdam locis pauciores jam  
 reperiantur, qui fructus ex agris percipi-  
 ant, quàm qui agros ipsos cæde quotidie  
 cruentando pinguiore efficiant? ut o-  
 mnia denique incendijs & ruinâ consu-  
 mantur, aliâq; perpetrentur nefandissi-  
 ma, quæ citra horrorem etiam comme-  
 morari non possunt. Quæ omnia, quid a-  
 liud tandem efficiant, quàm ut Germa-  
 niam iterum habituri simus, qualem olim  
 descripsit Historicorum Aquila, C. Corn.  
 Tacitus, *informem terris, asperam cælo, tri-  
 stem cultu aspectuq;* Ex quo porrò fit, ut  
 B 2 dum



dum, juxta Tullij olim querelam, nunc nostram, in castris furor est, in curiâ timor, in urbe dissensio, in campo exercitus, in agris vastitas; pauci reperiantur, (quæ infelicitatis non levis est accessio) qui de medelâ hujus morbi longè gravissimi, concordibus consilijs seriò cogitare perseverent: cùm tamen hæc præcipua sit fundi calamitas, quòd vel in commune non consulitur, rarusq; est, quod Britannis exprobrat Tacitus, duabus tribusque civitatibus, ad propulsandum commune periculum consensus: vel quòd, quando conventum est, tempus cunctatione absumitur; quod idem Historiorum princeps etiam veteribus Germanis, ex libertate vitium fuisse notat. Atq; hæc discordiâ nostrâ deplorandâ, quâ urgentibus Imperij fatibus, nihil à fortunâ majus præstari potest, quâq; alij infamiâ nostrâ clari, vitia nostra in gloriam sui vertunt, illud tandem efficitur, ut libertate singulis ereptâ, servitus imponatur universis. Quod servitutis jugū eò accidit gravius, quod non tantùm colla porrigimus ipsi, sed etiam oblato veluti pretio, pro freno servitutis licitationem quasi facimus. Ut enim

enim



enim Julius Agricola, vir belli pacisq; artibus insignis, apud sumptâ laudatum Historiarum scriptorem: *Britannia, inquit, servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit,* ( ad quæ verba magnum illud literarum decus, Justus Lipsius: *Moriar, si quid meo sensu, prudentius, disertius, argutius est in omni Romanâ linguâ* ) ita & nos hodie de Germaniâ nostrâ, quod idem planè faciat, conqueri possumus haud frustrâ. Hæc verò, Auditores, nisi ipsi sentiremus hoc tempore, vix fidem haberemus querentibus. Quis enim unquam credidisset, Germaniam, quæ olim Martium decus Romanis gentium victoribus eripuit, nunc suam libertatem amplius tueri non posse? Germaniam, cui olim virtute vinci turpe erat, hodiè virtutis suæ oblitam, quod vel non vincere, vel victoriâ uti nescit, pro turpitudine non habere? Germaniam, quæ olim cunctis terrori fuit, hodie multis ludibrio esse? Illam, inquam, gentem, quæ olim aliis libertatem vel acquisivit, vel reddidit, hodie suam amplius retinere non posse? Illam Europæ partem florentissimam, quæ olim exteros non nisi læcessita invasit, hodie tam sævire in pro-

B 3

pria



pria viscera? Illam mundi oram fortissimam, quæ olim jus libertatis sanguine vindicavit, hodie servitutem suam emere, fovere, pascere? O animos à majorum, virtute degeneres! ô mutationem morum, non piacularem minùs quàm exitialem!

*Quò tua bellatrix abiit Germania virtus,  
Dissimilis nostro tempore facta tui?  
Nunc virtute cares, nunc supplex porrigis ul-  
trò*

*Omnibus imbelles hostibus ipsa manus.*

Atq; hæc mala longè gravissima, eò sunt acerbiora, quòd hodie Christianis nobis eveniunt, quæ olim Germani veteres pagani, humanæ virtutis atq; prudentiæ studio, vel cavere vel avertere didicerant. Perniciosissimis enim bellis, & quidem civilibus, eheu! qui hodie conflictantur, Christiani sunt: tot dissidijs atque contentionibus qui tumultuantur, odijsq; inter se committuntur sine fine, Christiani sunt: in propria viscera qui tam diu sæviunt, & quidem immanitate, ô scelus! vel Scythijs crudeliores, Christiani sunt. Hoc verò tam gravi cùm premamur

mamur



mamur seculo, Auditores, in quod sive aliorum per ætates diu collecta vitia nos detruserunt, sive hanc fortunam peccando nobis fabricamur ipsi, sat causæ esse intelligitis, cur votis indefinentibus DEUM interpellare, præcipuumq; hujus mali remedium ab ipso petere debeamus. Cum pietate autem non fucatâ, Concordiæ cum primis studeamus oportet, si in hac infelicis Germaniæ calamitate, omnem lacrymarum nimbum excedente, vota nostra audiri velimus; & eadem necesse est sit omnium vox, eadem mens, idem conatus, si patrem cœlestem precibus nostris annuere cupiamus. Hæc enim placandi DEI ratio est omnium optima, hæc sola est consolatio efficacissima, hæc unica medicina, est malorum saluberrima. Hanc ergo amemus, hanc quæramus, hanc adhibeamus. Hanc quovis alexipharmaco præstantiorem magnificiamus, usurpemus, imbibamus; imò in succum & sanguinem nostrum convertamus, sanitatis sequuturæ magnâ spe, quæ fallere nescit, piè securi.

Ut igitur voto muneris auspicia,

B 4

ducam,



ducam, votoq; præfationem hanc finiam.  
 ERASMI viri divini verba, magnum pie-  
 tatis ardorem spirantia, oris animiq; imi-  
 tatione nostra faciamus, quod ita licebit.  
 O Domine & Servator generis humani,  
 JESU CHRISTE, DEI simul Virginisq; fili  
 unigenite, Te oramus atq; obtestamur  
 miseri, ut qui pro tuâ divinâ sapientiâ, or-  
 dine pulcherrimo gubernas ac digeris u-  
 niversa, pro tuâ ineffabili bonitate servas  
 ac vegetas omnia, pro tuâ immensâ mi-  
 sericordiâ restituis luxata, reformas col-  
 lapsa, vivificas mortua; ah! tandem ad  
 miseram Germaniam nostram, tot bel-  
 lorum undis tam diu involutam, flectere  
 digneris vultum illum tuum placidum ac  
 propitiû, quo serenas omnia, quæ in coelis  
 sunt & in terrâ. Vides, DOMINE, qui omnia  
 perspicis, quibus ventis, quibus undis  
 quibus procellis jactetur Germania.  
 Hanc tempestatem accersiverunt, no-  
 bis scelera nostra: agnoscimus & confite-  
 mur. Agnoscimus tuam justitiam, & no-  
 stram injustitiam deploramus. Sed appel-  
 lamus tuam misericordiam, omnia ope-  
 ra tua superantem, Multùm jam pœna-  
 rum



rum dedisse videmur, tot bellis attriti, tot  
exactionibus exhausti, tot portentis è cœ-  
lo minantibus territi: nec inter hæc ma-  
la subinde nova, ullus adhuc portus appa-  
ret, sed atrociora videntur impendere.  
Non querimus de severitate tuâ, Serva-  
tor mitissime, sed agnoscimus heic quo-  
que tuam misericordiam, qui etiam cùm  
ulcisceris, beneficus es, & cùm poenas ex-  
igis, misericordiam exerces. Atrociora  
longè, fatemur, merueramus. Verùm  
noli, benignissime JESU, perpendere, quid  
nostris meritis debeat, sed quid tuam  
deceat misericordiam; sine quâ nec An-  
geli possent subsistere, ne dum nos lutea  
vascula. Ah! miserere Germaniæ nostræ  
miserrimæ, Redemptor exorabilis; non  
quòd ipsi simus digni, sed hanc sancto no-  
mini tuo da gloriam. Olim, cùm in navi  
dormires, & exorta tempestas minaretur  
omnib⁹ exitium, ad inclamationem pau-  
corum discipulorum exprorectus es, &  
mox ad vocem tuam omnipotentē sub-  
sedere fluctus, consiluire venti, tumultus  
subitò versus est in tranquillitatem ma-  
gnam. Agnoverunt elementa muta,  
conditoris imperium. Nunc in hac longè

B 5

gra-



graviore tempestate, quâ periclitantur. non paucorum corpora, sed multorum animæ, ad totius Germaniæ clamoré, rogamus, expergiscere. Tot hominum milia clamant: *Domine, serva nos, perimus.* Tempestat vicit humanam industriam. Imò videmus, opitulanti volentibus conatus in diversum cedere. Tuâ igitur voce opus est, Domine JESU. Tantùm dic verbo; *consileſce tempeſtas*; & protinus illuceſcet optata tranquillitas. Tu ſolus es pacis & autor & tutor. Digere ergò chaos hoc informe Germaniæ, ubi nulla eſt charitas, nulla fides, nulla fœdera, nulla legum reverentia, nullus conſenſus, ſed velut in diſſono choro, ſuam quiſq; canit cantionem. Reſpice Germaniam noſtram dolore confectam, quæ pro ſacco habet ſuſpiria, pro cinere lacrymas: & per illa vulnera, quæ pro nobis pertuliſti, per illum ſanguinem, quem pro nobis in arâ crucis effudiſti, per illâ mortem ignominia plenam, quam pro nobis ſpontè ſubiſti, tribue hoc noſtris omniũ concordibus votis, & pacem Germaniæ, Germaniamq; paci poſtliminio tandẽ reſtitue. Pollicitus es veniam ad te converſis: ſed hoc  
 ipſum



ipsū tui muneris est, ut quis ad te toto pe-  
 ctore convertatur. Convertete nos igitur,  
 Conditor, Redemptor & Servator unice,  
 ut omnia bona nostra, à te profecta, in tu-  
 am gloriam vicissim redundant. Incolu-  
 mem serva Rempubicā nostram, patriā  
 charissimam. Vindica Academiam hanc,  
 quam plantasti, ab imminētis periculi mo-  
 le, & eam auxilio tuo ne destitue; ut ex eā,  
 tanquam è fruticeto, nunquam non edu-  
 ci possint, quorū pietas & doctrina, in Ec-  
 clesiae ac Reipublicae utilitatem subole-  
 scat. Mihi verò, quem novo muneri præ-  
 fecisti, novas, quæso, largire vires. Tuā e-  
 nim in primis gratiā, DOMINE, opus mihi  
 esse intelligo. Fac igitur, ut hanc provin-  
 ciā tuo nutu mihi mandatam, nunquā  
 non, te ductore, rectè administrarem. Rege  
 mentem, gubernam linguam, firma manus,  
 ut non nisi salutaria cogitem, dicam, faciā.  
*Hoc precor esse ratum cælesti numine CHRIS-  
 TUS,*

*Hoc velit omnipotens Rexq; Paterq; DEUS!*  
 Nunc isto muneris fundamine jacto, ad  
 Teme convertito, Cl. & Consultissime Dn.  
 D. ÆGIDI AGRICOLA, Antecessor &  
 Consiliarie Norice, inclyti Jctorum or-  
 dini,



dinis Decane & brabeuta spectatissime,  
 amice pl. honorande; & primum, quod  
 publicâ voce non tuo tantum, sed etiam  
 totius Universitatis nomine, de novo mu-  
 nere tantâ humanitate gratulari mihi vi-  
 sum est, vestrum amorem omnium in me  
 gratâ mente agnosco; mutuo amoris offi-  
 cio operam daturus sedulo, ut & Tu, &  
 Academia universa, hoc officium homi-  
 ni amicissimo tributum, reipsâ intelliga-  
 tis. Deinde quod petis, lubens meritoq;  
 concedo; nimirum ut Candidatum istum,  
 virum eruditione & virtute præstantissi-  
 mum, *Dn. Johannem Giwansky, Gitschi-*  
*nensem-Bohemum*, publicè Juris Utriusq;  
 Doctorem proclames atque renuncies.  
 Cùm enim ille se jam pridem ordini ve-  
 stro, moribus atq; studijs suis exactè pro-  
 bârit, & quæ Augustissimus Imperator,  
 nunc sceptrâ tenens, FERDINANDUS SE-  
 CUNDUS, verè secundus, Dominus noster  
 clementissimus, &c. in concessione privi-  
 legiorum Academiae injunxit, ritè recteq;  
 præstiterit; non immeritò eum unanimi  
 consensu dignum censuistis, cui supremi  
 in utroq; Jure honores conferantur. Euge  
 igitur, fiat, quod juris est æquissimi, & tri-  
 buatur



buatur Candidato meritissimo, quod non tam petitione ambit, quàm jure suo postulat. Autoritate, inquam, sacrae Cæsareæ Majestatis, jussu inclyti Senatus, & (quos ille constituit, ac præsentés heic esse voluit) Nobilissimorum Dnn. Scholarum, omnia & singula privilegia atq; immunitates, quæ in diplomate Cæsareo continentur uberius, adhibitis solennibus consuetis, modo quo fieri potest ac debet optimo, ipsi confer. Tu verò, Candidate eruditissime, prius jusjurandū, quod leges Universitatis nostræ requirunt, & cujus formulam Notarius publicus verbis nunc præibit, bonâ fide nobis præsta. Sic voti tui compos, Justitiæ Sacerdos vivas floreasq; diutissimè, & novo honoris titulo auctus, novum patriæ tuæ emolumentum lætus adfer; Justiti-

am, virtutem regiam, administrando dextrè & FE-

LICITER.

DIXI,

ORA-





## ORATIO II.

*De studiis, præsertim Philosophiæ, tempore  
belli non deserendis.*

Habita XXX. Junij. M. DC. XXXI.  
cùm quinq; Magistri Philosophiæ renun-  
ciarentur.

*Auditores omnium Ordinum splendidissimi.*

**G**Ræciam illam omniū doctri-  
narum inventricem felicissi-  
mam, quum olim bello civili  
undiq; arderet, & ut fieri solet,  
omnis generis calamitatibus affligeretur  
diutius; tandem verò Apollinem in Delo  
de fine malorum, & quâ ratione Dij pla-  
cari possent, consuleret, hoc responsi tu-  
lisse legimus: tum demum Græciam tran-  
quillâ fore, cùm aram ibi Apollini positâ  
duplicassent. Huic jussioni non iniquæ, ut  
videbatur, Græci statim obtemperârunt,  
& aræ, quæ figurâ erat cubicâ, alterâ pari  
magnitudine addiderunt; sic fore rati, ut  
ærumnis bellorum mox eriperentur. Ve-  
rùm cùm nihil minùs, quàm eventus tam  
avidè



avidè desiderat<sup>9</sup>, operi votisq; responde-  
ret, neque publicæ calamitates remitte-  
rent; denuò interrogatus Musarum præ-  
ses, ritè ne paruissent oraculo Græci? A-  
pollo id factum esse negavit. Ibi verò per-  
culsi Delij, rem graviolem per anabages,  
ut mos oraculis, significatam esse suspica-  
ri, aliumq; oraculi interpretem quærere.  
Platonem itaq; Philosophum divinum,  
adire visum est, à quo dum de verâ ora-  
culi voluntate certius edoceri petunt,  
hic vatis interpretis solertissimus, in-  
immutandâ figurâ aræ errasse eos ait;  
sed ita demum ex oraculi sententiâ tran-  
quillam fore Græciam, cùm majori  
studio ad Philosophiam & doctrinas libe-  
rales animum applicârint. Hæc enim,  
studia esse, quæ Apollini sacra, animos<sup>9</sup>  
ab ambitione cæterisque cupiditatibus<sup>9</sup>,  
ex quibus bella oriri solent, abducant,  
& ad amorem pacis inflammare que-  
ant: hanc esse aram illam, in quâ Apol-  
lo sacra sibi fieri postulet. Hanc igitur  
duplicando colant, hanc venerentur,  
hanc ament; & sic de liberatione mox se-  
quuturâ ne dubitent. Hujus oraculi,  
quod Philosophi beneficio Græcia  
tan-



tandem intellexit, meminisse nunc lubet, Auditores, cùm ex unâ parte horribiles nostrorum temporum tumultus subtristis considero; ex alterâ verò studia Athenæi hujus indefessa lætus conspicio; incertus animi, publicanæ Bellonæ damna deplorare magis, an verò de felicitate, quam etiã medias inter calamitates, non alicujus Apollinis, sed DEI Opt. Max. beneficio, cernere licet, Academiæ nostræ gratulari debeam. Quamvis enim levia non sint, quæ nos undiq; hoc tempore affligunt belli mala; tamen benè adhuc nobiscum agitur, quod Universitas nostra, militum licet diris clamoribus perterrita, nihilominus officij sui memor, literarum studia tractare perseverat, & inter Martis quoq; filios, Musarum alumnis integrum esse, liberalibus disciplinis vacare, publicè demonstrat. Ne quis igitur hesternâ nostrâ oratione, quæ temporis vices duriores referebat, animo forsân dejectus, de studiis Academicis, ob dictos bellorũ terrores, minus benè sperare ausit, aut sinistra quid de studiis nostris, ex seculi perveritate suspicetur; hodierno die ad studium honestarum artium indefinenter decur.

decur.



decurrendum, animos Studiosorum accendendam, & ut contra temporum injurias audacius eundo, literarum studia non minus inter belli motus, quàm in pace fieri amat, urgere, publicasq; seculi calamitates, studiis incumbendo, vel avertere, vel mitigare liceat, paucis dicam: quod dum incomposito dicendi genere facio, Vos, quæso, animis adeste, Auditores, & attentione seriâ favete. Dabo operam, ut si non aliâ re, saltem brevitate vobis placeam: quod licet malorum Oratorum esse, Rhetorum filij dicant, nos tamen vel ita audiendi benevolentiam demereri non dubitamus.

Pertritum esse nemo est qui nesciat, inter arma silere leges, nec ubi vi geritur res, juri locum relinqui: quod horribile atq; perniciosum silentium, vel maximè Philosophiæ studijs & liberalium artium disciplinis, à bellorum tumultibus, plus quàm dictatoriâ lege indici, pleriq; vulgò autumant. Quamvis autem ego hanc multorum persuasionem, populi suffragio fultam, non omninò negare ausim; nec planè de nihilo esse putem meticulosam quorundam opinionem, qui seculū

C

hoc



hoc atrox, & tot procellis deforme palàm  
incusantes, istâ rerum nostrarum facie,  
tot domesticis bellis, tot externis formi-  
dabili, animum eâ libertate quâ par est,  
studijs vacare posse inficiantur; cum in  
ejusmodi tempora reservati videamur, de  
quibus Ennianum illud usurpare queas:

*Spernitur orator bonus, horridu' miles a-  
matur:*

tamen humanioribus literis etiam me-  
dios inter furores belli, non tantùm lo-  
cum aliquem, sed & pretium suum esse  
foreq; semper, non sperare minus, quàm  
optare, puto, licebit. Si enim illa, quæ  
ante nos fuere tempora, bellicis dissidijs  
ac tumultibus itidem plena, memoriâ re-  
petamus, fateamur oportet, non minus  
inter belli negocia, quàm inter ocia pacis,  
ingenuas artes, cum Philosophiæ studijs,  
sedulò excultas esse, exijsq; magna inge-  
nia floruisse. Imò sunt nonnulli, qui af-  
severare nihil ambigunt, feliciter progres-  
sas esse studiorum disciplinas medijs bel-  
lorum turbis, quàm cùm pacis essent hal-  
cyonia; nec unquam aut uberius aut me-  
lius quàm inter arma artes provenisse. Ex  
hac enim persuasione non adeò absurdâ,

Plinij



Plinij illa querela nata est gravissima, fenuisse hominum mores ævo pacis, & dū festa erat gaudensq; rerum facies, non modò novâ inquisitione erutum esse nihil, sed nec veterum quidem præclarè inventa, qui orbe discordi inter bella vixere infida, exculta pro ut decet prolataq; esse. Planè ut aliàs quoq; pacis vitia, longè omnib<sup>9</sup> bellorum damnis magis sunt perniciofa: ita quidem, ut non vulgus tantum, sed & qui vitæ perhibentur sanctioris, cum pace frui licet, virtutum studia pro ludibrio habeant. Nam ut præclarè monet rerum Scoticarum Historicus insignis, omnibus ferè populis omnium ferè calamitatum inde oritur initium, quod pace undiq; partâ, otium, luxus, libido, comotationes & saltationes nocturnæ diurnæq;, vestiū deliciae, & quæ aliæ morum corruptelæ sunt plures similes, ceu media perdendi certissima consequuntur. Cæterum ut nos illud saltem, quod diximus, belli tempore non omninò de studijs desperandum esse, persuadeamus, non verbis tantum attingenda sunt, quæ volumus ostendere, sed exempla proferenda magis moventia. Demetrium,



igitur Phalereū, Romanæ civitatis principem, refert M. Tullius, cū patriā pulsus esset injuriā, ad Ptolomæum regem Alexandriam se contulisse, ibiq; multa præclara in calamitoso otio (quale litterarum esse solet tempore belli) de philosophiā scripsisse, istumq; animi cultum quasi quendam humanitatis cibum ipsi fuisse. Sic de Archimede Syracusano, solertissimo illo cœlestium orbium non perscrutatore tantum, sed etiam imitatore, testatur idem Romanæ eloquentiæ parens, eum, dum in pulvere quædam describeret attentius, ne patriam quidem captam esse sensisse; tantumq; illi amorem fuisse in artium studia, ut etiam tumultu captæ urbis, & præsentis vitæ periculo, ab his avelli non potuerit. Unde factum quoq; legimus (qui studiorum fructus nequaquam est tacendus) ut etiam victoris edicto cautum fuerit, ne vitæ talis viri noceret quisquam: quia nimirum non minus gloriæ ex Archimede servato, quàm ex magnæ urbis expugnatione captabat dux exercitus. Planè, ut Pindari familiæ penatibusq; parci jussit Alexander, cū Thebas caperet. Sic Publium

Cras.

C  
st  
G  
b  
ri  
A  
ta  
ac  
ri  
ci  
qu  
gr  
fa  
es  
o  
S  
pe  
al  
m  
p  
pa  
q  
ci  
la  
r  
cu  
p



Crassum Consulem, cùm in Asiam Aristonico regi debellando venisset, literis Græcis medios inter lituos, studio & labore singulari operam dedisse, historiarum monumenta loquuntur.. Sic Anaxagoram, sic Atticum, sic alios tam Græcos quàm Romanos, nullo adversitatis nuncio, à studijs suis dimoveri potuisse, literis proditum est. In bellis civilibus, quæ ad internecionem usq; aliquoties vexarunt rem Romanam, quàm grandia extiterint ingenia, Rei q; publicæ salutaria, si quis congerere velit, eum discitius deficient, quàm exempla. Instar omnium sit flos illibatus populi Romani Suadæq; medulla, M. Tullius, qui etiam si per ancipites Catilinæ, Pompeij, Antonij, aliorumq; factiones detineretur: eo tamen ardore studia sua retinuit semper, ut primus omnium, & patriæ & literarum parens appellari meruerit. De Scipione quoq; Nasica refert Valerius, eum difficillimis Reipublicæ temporibus, tantum laudis togâ meruisse, quantum armis meruerit uterq; Africanus. Possem, si temp<sup>o</sup>, cujus rationem habendam mihi meminisset, permitteret, non tantùm Periclem, Themisto-



mistoclem, Epaminondam, aliaq; Græciæ propugnacula; vel illa etiam Romani Imperij columina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosq; ex historiâ antiquâ, in medium producere: sed recentiora quoq; exempla virorum insignium recensere, qui vel nostrâ patrumvè memoriâ, nullo armorum strepitu, nullo tubarum clangore, nullo tormentorum tonitru, in cursu studiorum suorum retardari se passi sunt. Quàm multis annis Belgium, Musarum domicilium cum ipsis Athenis, Româq; Latiali comparandum, armis periculosissimis trepidarit, nemo est quem lateat: nec hodieq; provincijs Concordiâ Magnis, per Iberi sâtrapas quietis esse licet. Et tamen quàm præclara ibi floruerint ingenia, & vigeant etiam hoc tempore, nemo nescit, nisi qui Europæ ignorat lumina, Scaligeros, Lipsios, Doufas, Grotios, Merulas, Baudios, Rutgerfios, Salmasios, Cunæos, Meursios, Scriverios, Vossios, Barlæos, Winfemios & ejus ordinis plures alios. Cum primis verò Daniele Heinsum, ornamentum literarum eximium, amicum nostrum magnum, præterire non debeo, qui  
 quan-



quantum inter arma possint literæ, vel novâ illâ (ut alia divina ipsius ingenij monumenta nunc taceam) rerum ad Sylvam-ducis, alibiq; in Belgio, aut à Belgis gestarum nuperrimè scriptâ historiâ, non minori nominis sui gloriâ, quàm universi Belgarum populi laude, ad miraculum usq; demonstravit. In Germaniâ, in Galliâ, in Italiâ, in Hispaniâ, quanta præstantissimorû ingeniorum seges, medios inter Martis ausus crudelissimos fluctusq; decumanos, æternâ cum earû gentium gloriâ, adoleverit, nunc commemorare longius foret, quàm temporis & instituti nostri ratio permittit: nec quenquã nesciû esse finit scriptor illustris, Parlamenti Parisiensis præses, Jac. Aug. Thuanus, alter seculi nostri Livius. Imò, vel hic ipse exemplo potest esse instar omnium, quàm parùm, vel nihil potestatis habeat, bellis tumultuantium ferocia in eos, quib<sup>9</sup> ferio literarum studia excolere animo sedet. Quò magis enim Gallia, tunc temporis, bellorum civilium factionibus flagrare perseveravit, eò ardentius ille non patriæ tantum, sed totius Europæ historias, inimitabili diligentia fideq; infallibili,



literis mandare, simulq; quid posteritati imitandum, quid fugiendum sit, ingenij monumentis æternitate dignis, philosphari adlaboravit: inter eos, hoc est, beatissimos, annumerandus merito, quibus ex Plinij sententiâ, *et facere scribenda, et scribere legenda* cordi fuit. Atq; hoc est, Auditores, quod Poëtas quoq; , sapientiæ magistros peculiari numine afflatos, voluisse puto, cum Minervam, Academia- rum deam, hastâ & casside finxere armatam, eamq; cum terribili armorum fremitu & clamore ingenti, è Jovis cerebro emeruisse tradiderunt. Nimirum innuere volebant rerum arbitri sapientissimi, literarum studia inter galeas & enses, inter impetus hostiles & conflictus cruentissimos, feliciter nata & producta esse. Non est igitur, quod inter mala tempora, bona vota deseramus, aut magnâ quâdã felicissimi seculi expectatione lactati, seculum aliquod ærumnarum expers operiamur, & eò usq; studia nostra differam⁹: quod certè nihil aliud esset, quam mera somnia, cum temporis, rei omnium preciosissimæ, damno comminisci, & inanium opinionum nube spes nostras impedire.



dire. Quid? quod præter gentium histo-  
rias, ipsa quoq; sacra oracula nos erudi-  
unt, hanc piorum conditionem esse pro-  
prium, in hoc mundi pelago, ærumnarum  
fluctibus exerceri continuis, & quidem,  
ut ipsa de cœlo ad nos descendens Sapien-  
tia testatum fecit, καὶ ἡμῶν. Juges enim  
oportet esse bonarum mentium calami-  
tates, ut eò avidius tranquilliores securi-  
tatis portum expectent. Et ne quis malè  
opinetur, mala hæc, quæ patimur, novel-  
la esse, aut nostro ævo terris primùm in-  
vecta: vel Israëlicarum illum regem, non  
oraculi alicujus, sed ipsius Dei testimonio,  
omnium qui inter homines vixerunt aut  
victuri sunt, sapientissimum audiamus;  
qui vulgi has esse querelas fatuas & vanas,  
priorem semper ætatem commendantis,  
cum vituperatione suæ, præclarè, ut o-  
mnia, monuit. Verùm latius in hoc cam-  
po evagari, vel ipse dies hodiernus, ipsa  
Academiæ hujus festivitas, ipsi hi, quos  
videmus, in proscenium producti juve-  
nes literis exculti, me prohibent. Hoc i-  
psum enim, quod nunc peragimus, quod  
oculis usurpamus, quod præ manibus ha-  
bemus, quid aliud, quæso, sibi vult, quàm



ut clarè nobis demonstret, etiam periculo-  
 losò belli tempore, suum literis locum,  
 esse & honorem? Et dum jam bellis invo-  
 luti digna literis præmia distribui vide-  
 tis, Auditores, an non ipsi fateri cogimi-  
 ni, si animus studendi adsit, occasionem,  
 per nullos bellorum motus defutu-  
 ram? Quapropter hæc hac felicitate  
 tuâ, ô Academia Altorphina, & ut eam,  
 perennem Tibi D E U S faciat, virtuti  
 litare, literisque incumbere nunquam,  
 cessa. Pergite, ô Juvenes, ad quos potis-  
 simum hæc mea spectat oratio, bonarum  
 disciplinarum studia urgere indefessè, &  
 de honorum præmijs, quæ vos manent,  
 nunquam dubitate. Nolite animo fran-  
 gi propter bellica hæc mala, utut atrocis-  
 sima; ob quæ si quis lentius tractanda sibi  
 putet studia, is certè nec pacatissimis tem-  
 poribus palmam feret. Animo, animo o-  
 pus est, licet

*Ardentes clypeos atq; æramicantia cernat.*

Quin illud persuasum habete, quod  
 Romanus sapiens præclarissimè dixit: O-  
 mnia licet foris resonent, dummodò in-  
 tus nihil sit tumultuosum, nihil disso-  
 num,



num, dum inter se cupiditas & timor ne-  
 rixentur, dum inertia luxuriaq; non desi-  
 deant, res in vado est. Tumultuentur er-  
 gò alij in ocio, alij ocientur in tumultu,  
 præter rem alij agant, alij malè, alij ni-  
 hil; nos cum DEO, in officij statione per-  
 severantes, pectora nostra bonarum arti-  
 um studijs, contra calamitatum adversi-  
 tates corroborabimus. Quod dum facie-  
 mus seriò, certò experiemur, studia lite-  
 rarum non tantùm nullo bellorum tu-  
 multu opprimi, nullâ armorũ mole tolli,  
 nullo Martis furore deleri posse; sed et-  
 iam hoc commodi ex iis pro manare sen-  
 tiemus, ut quamcunq; fortunam æquo a-  
 nimo ferre edocti, ex studiorum cultu in-  
 defesso, consolationem in adversis habe-  
 amus omnium optimam & solidissimam.  
 Quem literarum fructũ haud vulgarem,  
 ut certius Vobis persuadeam, adolescen-  
 tes optimi, non tam multitudine testium  
 vos obruã, quàm gravitate eorundem,  
 quod volo, evincam. Cum primis verò A-  
 ristotelem, Philosophorum Aquilã, vo-  
 bis sisto; qui, referente Laërtio, literas in-  
 ter secunda ornamentum, inter adver-  
 sa refugium esse præclarè dixit. Cui  
 adsti-



adstipulatur prodigium illud humanæ sapientiæ, L. Annæus Seneca, quem Tertulianus aliq̄; Christianæ Ecclesiæ Doctores, suum appellare non dubitarunt; quemq̄; Otho Frisingensis, non tam Philosophum, quàm Christianum esse dixit; & cujus autoritate ipsa etiam Concilia quandoq̄; sententias suas roborarunt: Is, inquam, non vitâ minus quàm literis Philosophus, omnibus qui fortunâ fugiunt, ad liberalia studia confugiendum esse censuit. Hæc enim esse, quæ animi vulnera sanare, & omnem tristitiam evellere nobis possint: hæc esse, quæ tutos præstare, quæ consolari, quæ delectare possessores suos valeant: hæc esse, quæ si bonâ fide animum intraverint, nunquam amplius intrare dolorem patiantur, nunquam sollicitudinem, nunquam afflictionis irritæ supervacuum vexationem irruere sinant: hæc deniq; præsidia esse certissima, & quæ sola fortunæ nos eripere queant. Hoc cùm probè nosset Plinius Secundus, non multis secundus, & gaudium & solatium in literis sibi esse, ad Maximum suum scripsit, nihilq; tam lætum putavit, quod his lætius, nihil tam triste, quod non  
per



per has fiat minus triste, unicumq; doloris levamentum studia sua habuit. Verissimè itaq; M. Tullius; *multi*, inquit, *cùm in potestate essent hostium aut tyrannorum, multi in custodiâ, multi in exilio, dolorem suum doctrina studiis levaverunt.* Quam literarum efficaciam, & dulcedinem plus quàm humanam, apud Tranquillum intelligens Tiberius, hoc crudelitatis genus excogitavit omnium atrocissimum, ut in quos quàm durissimè animadvertere volebat, eis studendi solatiũ adimendum ediceret. Vitæ enim solamen, & vivendi desiderium illis auferri, quibus literarum studijs incumbere interdictum esset, egregiè callebat principum versutissimus. Exemplo Mitylenensium, qui Socijs desciscentibus hanc pœnam imponebant, ut liberos suos non docerent literas, neq; artes liberales; omnium suppliciorum hoc gravissimum judicantes, in inscitia & ignorantia artiũ liberalium vitam transigere. Quo astu quoq; Aristodemum, contra liberam juventutem Cumanorum, usum, refert Dionysius Halicarnassæus. Quam eandem vastitiam scelestissimam, in Juliano Aposta-

Apostata.



Apostata, magnis querimonijs damnarunt primitivæ Ecclesiæ Antistites. Hæc autem de studijs literarũ & earum potentiã, quam adversus bellicarum aliarumq; calamitatum æumnas habent, admirabili; in illam amplissimam benè vivendi disciplinam vel maximè quadrant, quam aliarum artium procreatricem quandam & quasi parentem (Romanorũ disertissimi agnoscitis verba) Græci φιλοσοφίαν appellant: quod sanctissimũ sapientiæ amoris nomen, ut ejusdem facundia pronunciavit, ipsa genuit modestia. Philosophia enim est potissimũ, quæ non modò à solitudine nos abducit, sed etiam contra omnes fortunæ impetus armat, & animũ medijs in undis tranquillat: adeò quidem, ut non ineptè quidã Olympio eam compararint, monti excelsissimo, cujus cacumen ideò quietũ semper esse ajunt, quòd altius sit, quàm ut eò vis ventorũ tempestatumq; pertingat. Rectè omninò & præclarè. Philosophorum enim animus sublimior est & excelsior longè, quàm ut flatus calamitatum furentes sentiat. Hanc porrò Philosophiæ vim singularem, mente citiùs quàm verbis attingendam, non est quod

quod



quod ad homines tantum privatos Scho-  
lisq; deditos restringamus, aut ad pacis  
duntaxat coarctemus tempora. Nam ut Im-  
peratores bellici, Rerumq; publicarum mo-  
deratores antiqui, gloriae suae radios per  
Philosophiam potissimum clarescere fe-  
cerunt; ita Philosophi vicissim ad belli a-  
liaq; Reipublicae munera capeienda,  
quam aptissimos se esse reipsa saepe de-  
clararunt. De Timotheo Atheniensium  
duce fortissimo memorat Aelianus, et-  
iam si multarum urbium expugnatione  
celebrem, tamen tum demum verè bea-  
tum se duxisse, cum Platonem Athenis  
audire ipsi contigit. Sic Zaleucus Locren-  
sibus, eodē teste, sic Charondas Catanensi-  
bus, sic Tarentinis Architas, Chilon Lace-  
dæmonijs, Pittac<sup>o</sup> Mittylenæis, Athenien-  
sibus Demetrius Phalereus, viri in Philo-  
sophiâ maximi, Rebus publicis & belli &  
pacis tempore, non minus cum laude,  
quam cum imperio præfuerunt. Ipse So-  
crates, ob Philosophiâ vulgò ad res geren-  
das habitus ineptior, in Potidæa, in Am-  
phipoli, in Delio, prælijs non tantum inter-  
fuit, sed ita etiam in loco, quo à superio-  
re consistere iussus fuerat, constitit, ut  
neq;



neq; periculum ullum subire detrectaret,  
 neq; mortem, neq; aliud quicquam puta-  
 ret formidandum, præter turpitudinem.  
 Quantum Platoni Philosophia debeat,  
 nemo est qui nesciat: & tamē is, cū pro  
 patriâ pugnandū esse videret, sine ullâ re-  
 cusatione militem egit, & tertiâ vice arma  
 gessit. Eodem modo auditor ej<sup>9</sup> Aristote-  
 les, patriam suâ non in genua, quod dici-  
 tur, procumbentem, sed in os prostratam,  
 erexisse atque restituisse celebratur. Sic  
 res Carthaginensium continuis cladibus  
 exhaustas atq; attritas, Xantippus Philo-  
 sophus, Lacedæmone ad summam belli  
 gubernandam accersitus, singulari pru-  
 dentiâ, quam literarum studio acquisive-  
 rat, felicissimè recuperavit; aliorumq;  
 ducum imperitiam redarguendo, M. At-  
 tiliū novâ aciei formâ (quam latè me-  
 morat Polybius) insigni victoriâ in fugâ  
 vertit. Nec inferiores hac in parte seu  
 Græcis seu Pœnis fuere Romani, orbis ter-  
 rarum Domini; apud quos, si M. Tulli-  
 um audimus, nemo gloriâ clarior, nemo  
 auctoritate gravior, nemo humanitate  
 politior fuit P. Africano, C. Lælio, &  
 L. Furio. Et tamen hæc triga virorum  
 splen.



plendidissima, pergratum & sibi & multis civitatis principibus Athenienses fecisse asseveravit, quod, cum legatos Romanam mittere visum esset, tres illius ætatis nobilissimos Philosophos miserint, Carneadem, Critolaum & Diogenem; qui belli tempore negocia pacis tractando, tantâ gravitate dicendi Senatuum permoverunt, ut diceret tandem Senatus: miserunt Athenienses legatos, non qui persuadent, sed qui cogunt facere, quod ipsimet volunt. L. Lucullus, apud Romanos sæculi sui lumen præclarissimum, cum adolescentiam in forensi operâ, reliquam ætatem universam in pace ita traduxisset, ut laudem imperatoriam nemo ab eo expectaret, tandem consulatum nactus, & à Senatu ad bellum Mithridaticum missus, totum iter & navigationem, partim in percontando à peritis, partim rebus gestis legendis consumsit; adeò quidem, ut rei militaris rudis Româ profectus, in Asiam veniens, Imperator in omni genere belli, prælijs, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusq; belli instrumentis & apparatu fuerit admirandus. Idem post alia infinita, adversus duos

D

poten-



potentissimos totius Orientis reges, Mi-  
 thridatem & Tigranem, fortia facta, cum  
 exiguâ manu militum vix undecim mil-  
 lium, innumerabiles hostium copias ad-  
 ortus, peditum cæcidit ad centum millia,  
 equitum ad quinquaginta; regem verò  
 regum, Tigranem, & quicquid gladijs  
 jam retusis occidi non potuerat, in pedes  
 se conjicere compulit. Unde non imme-  
 ritò rex Mithridates, post Alexandrum  
 maximus, majorem ducem eum à se co-  
 gnitum, quàm quenquam eorum quos  
 legisset, fastus est. Ipse quoq; Cicero, Plu-  
 tarchi testimonio, Philosophiæ non mi-  
 nus quàm arti Oratoriæ deditus, cum  
 tandem sortitus esset provinciam Cilici-  
 am, & exercitum, duodecim peditum  
 millia, equites bis mille sexcentos conti-  
 nentem; non tantum Cappadociam regi  
 Ariobarzani, ut Senatus jusserat, benevo-  
 lam & obedientem reddidit. Cilicesq; ob  
 Parthicam Romanorū cladem, & res no-  
 vas in Syriâ existentes mansuetâ guber-  
 natione continuit: sed etiam latrones, qui  
 Amanum montē infederant, bello pro-  
 fligavit; ejus rei causâ à militibus Impera-  
 tor appellatus: Taceo nunc Marcum illū

Anto-



Antoninum Pium, in quo splendor Imperij cum Philosophiæ sublimitate certavit, quem Papinianus noster, Jctorum phoenix, Juris religiosissimum, ipse verò Imperator Justinianus, philosophissimum, & Philosophiæ plenum appellarunt. Sed ne quis hæc antiqua, vel remota nimis existimet, aut ut trita admodum & exigui usus parvipendat; hoc tandem percipite, quod de ipsâ Republicâ nostrâ Noribergensi, vir, ut in omni scientiarum genere summus, ita in Philosophiæ studijs maximus, Philippus Melanchthon, in epistolâ quadam ad amplissimum Senatuum commendavit, ubi cum multas Reipublicæ nostræ laudes haud vulgares predicasset, ita tandem inquit: *Non tantùm florent ibi mechanicæ artes, sed etiã Philosophiæ studia semper ibidẽ magni fuerunt, ejusq; laudis possessionem adhuc retinent ornatissimi cives, qui præsunt Reipublicæ.* Hoc elogiũ viri fide dignissimi, multis triumphis illustri, Respublica nostra hodieq; ut dotem longè pulcherrimam jure sibi vindicat. Quin & illud inter recentiora memorandum nobis venit, atq; imitandũ maximè, quod justus Lipsius, Palladiæ coronæ orna-



mentum perpetuum, de Brabantiâ, provinciâ nobilissimâ ( mihi ob matris originem, quæ patriam eam habuit, percharâ ) tantoperè laudat & miratur; nimirû eam, cùm per quinque amplius lustra, bello implicata teneretur, eoq; civili & intestino: tamen literarum studia fovisse constantissimè; Ordinesq; prudentissimos, etiam si undiq; bellorum tuba insonaret, tibias tamen & fistulas Musarum cogitasse, neq; pacis artes neglectum ivisse intermedia arma; de rebus salutaribus judicantes magis quàm computantes. Quibus & hoc addit præclarè, perq; annales contestatur sacros & profanos, ab omni ævo DEUM extare artes voluisse, velut pharos & lucentes quosdã ignes in tempestuoso mari. Vel sola igitur propinqua ista & recentia, calcar vobis addere debent, juvenes lectissimi, ut eò alacrius literarum & Philosophiæ studia amplectentes, veram esse oraculi sententiam, quam suprâ diximus, ipsi quoq; exemplo vestro comprobentis. A quo tramite non est quod illorum obloquijs abduci vos patiamini, qui iniquiores interdum erga Philosophiam artium optimam, ad quam

pro-



propius accedere non audent, eam ut ignavi canes, eminus allatrare non erubescunt. Quin potius in animum inducite vestrum, etiamsi studia ista Philosophiæ, sæpius quidem, sed satis laudata, nunquam, respectu superiorum, quas vocant, facultatum, minus æstimanda nonnullis videantur: ea tamen vel ideò magis colenda esse omnibus, quia absq; eorum adminiculo, feliciter in sublimioribus illis progredi non licet. Verùm diutius sermonem protrahere, viva Candidatorum nostrorum exempla me prohibent, quorum speres, ut Ennius loquitur, ulterius morari non debeo.

Quandoquidem igitur Tu, Vir clarissime, GEORGI MAURITI, Philosophiæ Magister, Orator & Poëta eximie, Decane spectabilis, senex multis nominibus mihi venerande, Candidatorum tuorum mores & profectus in Philosophiæ aliarumq; liberalium artium studijs, quà publicè quà privatim, unà cum Collegis tuis, Philosophis præstantissimis, rigorosè explorasti; ita quidem, ut digni visi sint, qui supremam in Philosophiâ lauream & honorem Magisterij, quem vocant,



consequantur, FIAT quod petiisti. Quam  
 vocem, dum ita volentibus & spectanti-  
 bus Nobilissimis Academiae Curatoribus,  
 ad petitionem Tuam emitto, singulari  
 lætitiâ me perfundi sentio; memor, quàm  
 fidelem operam puer olim in hoc Athe-  
 næo, ubi Te Magistro primo uti divini-  
 tus mihi contigit, in dirigendis studijs  
 meis sum expertus. Quæ fides Tua & dex-  
 teritas (cui, Aristotele teste ad Nicoma-  
 chum, par gratia haberi nunquam po-  
 test) ut hætenus nullo tempore memo-  
 riâ mihi excidit: ita non possum nunc gra-  
 tulari mihi & gaudere vehementer,  
 quod hac die solenni redhostimentum,  
 hocce grati animi, publicè virtutis Tuæ  
 referre mihi datum est. Ut igitur Candi-  
 datos istos tuos quinque omnes & singulos,  
 nempe

*Johannem Otner Eschenoviensem,  
 Justum Danielem Heering, Camentianum-  
 Lusatum.*

*Johannem Majerum Eubachensem  
 Georgium Rudorff, &  
 Erasmus Frisch, ambos Noribergenses,*

Magistros Philosophiæ publicè procla-  
 mes & renuncies, eosque fide, quã debent,  
 & Aca-



& Academiae per Notarium ejus nunc  
 præstabunt, ritè prius obstrictos, omni-  
 bus prærogativis & immunitatibus, quæ  
 in privilegijs Cæsareis, à Divo Rudolpho  
 Secundo gloriosissimæ memoriæ pri-  
 mum concessis, ab eo verò, qui nunc re-  
 rum potitur, Ferdinando Secundo, Im-  
 peratore felicissimo, &c. Dn. nostro cle-  
 mentissimo, abundantissimè confirma-  
 tis enumerantur, uti, frui & gaudere faci-  
 as, officij ratione & lubens & merito po-  
 testatem Tibi facio: quod ut CHRISTI  
 Servatoris gloriæ sacrum, Ecclesiæ, Rei-  
 publicæ, Scholisq; usui sit & emolu-  
 mento, piâ mente voveo a-  
 nimitus.

D I X I.







## ORATIO III.

*Ad Polybij dictum lib. V: de incerto & mutabili valore Aulicorum.*

Habita VIII. Maij. M. DC. XXXIV.

cum NICOLAUS RITTERSHUSIUS, & WILHELMUS SCHRÖTERUS, Doctores Juris; & GEORG. BALTHAS. WOLFARTUS, Doctor Medicinæ renunciarentur.



Uti de vitâ rusticâ commentantur, & cum eâ simul, quæ in hortis viridantibus amœna sunt & utilia, indagant, hunc præcipuè fructum ex solitudine istâ suavissimâ percipi volunt: non flores conquirere ex ignoto orbe, aut bulbulos exotics, luxus fomenta novi, ambitiosè ostentare: multò minus in desidia ibi oscitare & dormire; sed cum rerum, quas terra producit, mutabilitate, qua nascendo nunc, mox crescendo, tandemq; denascendo laborant omnia, rerum cum primis humanarum mutationes varias, easq; inter Imperiorum quoq; Rerumq; publi.



publicarum ortus, incrementa & interitus rimari, seriatimque contemplatione investigare exactius. Rectè profectò & ad prudentiam *πολιτικὴν* accommodatè. Ut enim in hortis Natura:

*Sic DEVS alternas versat in orbe vices.*

Et ut florū arborumque caducitates hortorum: ita Historia, vitæ magistra optima, regnorum civiliumque actionum periodos fatales ante oculos nobis ponit, casusque regnantium ac parentium repræsentat. Romanorum, hoc est, non unius populi, sed generis humani facta si quis ruminari cupit, ut in horto plantas exsurgere, stare, decidere: ita in historiarum monumentis, ut principis populi virtus cum libertate & potentiâ cœperit, ut postea adoleverit, ut ad florem pervenerit, ut tandem decoxerit atque consenuerit, non jucundè minus quàm utiliter videbit. Apparet enim, inquit Velleius, quemadmodum urbiū, imperiorumque: ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire. Quin & singulorum forenas variabiles, ut flores caducos intuebitur in horto historiarum studiosus, & ut hic è carcere ad aurea culmina evolarit, alius ut

D 5

regiâ



*regiâ de stirpe vitam inglorius, rebus transe-*  
*gerit in egenis; ut sæpè quem dies vidit veni-*  
*ens superbum, hunc dies viderit fugiens ja-*  
*centem, cognoscat, mirabitur, cavebit. Sæ-*  
*pè enim,*

*Quem matutinus latum conspexit Eous,*  
*Hunc flentem paulò vidit post Hesperus i-*  
*dem:*

*Fitq; ————— præpete fato,*  
*Una dies natos ut cernat, & una perem-*  
*ptos.*

Percepit hunc fructum ex horto suo, ante alios, magna illa Justi Lipsij anima, signumq; imitationis, ut alijs in rebus multis, ita in hoc quoq; vitæ studio egregiè prætulit. Sic enim horto suo deditus, Tarquinium regem vidit jam tum, priscâ illâ Româ, in hortis molliter ambulantem, & papaverum capita refecantem. Sic Catonem Censorium agnovit in re hortensi deditum, & de eâ seriò scribentē. Sic Lucullum post Asiaticas victorias, in iisdem otiantem: ita Syllam abjectâ Dictaturâ suaviter in horto senescentem: ita Diocletianum principem olera sua & lactucas ad Salonam, purpureę & omnibus sceptris præ-



præferentē observavit. De Cyro, Persarū rege, ingenio & imperij gloriā florentissimo ex mellicissimo Xenophonte refert Tullius, eum, cūm Lyfandro Lacedæmonio in horto suo virtutē fortunæ conjunctam monstrasset, beati nomen reportasse. Hinc Octavius quoq; ad hortos, quos Mecænas Romæ in Esquilijs habuit pulcherrimos, sæpi⁹ divertisse scribitur. Haud absimilem hortorū usum feliciter intellexit patricius ille Genuensis, cujus prudentiam comendat Guicciardin⁹. Cūm enim Ludovici Sfortiæ legatus, nimiā pecuniæ sumam à Republicā extorquere deberet, patricius legatū sub horam coenæ in hortum amoenissimum deducit, & præ cæteris florum speciebus occurrentibus, Basilicam comendat, ejusq; leviter contrectatē suavitatem rogat percipere. Legatus odore gratissimo percepto, virtutem floris commendat. Patricius verò eandē herbam durius compressam odorari monet: quo factō, insuavē admodum noxiumq; odorem sensit Legatus, & unius ejusdemque plantæ effectus contrarios miratur. Tum horti dominus: mi Legate, inquit, *civitates hortorum similes esse meminervis,*

*meus,*



*mus, in quibus cives florum instar, prout con-  
trectantur, odorem spargunt.* Hanc utilem  
hortorum amœnitatem cum nuper co-  
gitarem, Auditores, & vere novo, post aë-  
ris vicissitudines mitiores, animi causâ  
me reciperem in hortulum,

— — *qui fessa toties solatiamenti  
Sufficit, & tetricas curis levioribus horas  
Delinire solet:*

arbores ibi paulò antè nudatas, formatis  
frondibus operiri, omnia florum amœni-  
tate, viriditate segetum, gemmisq; viti-  
um ridere, non animo minùs perpendi,  
quàm oculis usurpavi. In quâ contem-  
platione altius tunc defixus, accidit, ut  
occasione istâ, nuperam supremi exerci-  
tuum ducis fortunam, lippis & tonsori-  
bus jam notam, liberè pensitans, in Po-  
lybium inciderim; summum non tan-  
tùm, ut Nicolaus Perottus judicat, Histo-  
ricum, sed etiam Oratorem maximum,  
& Philosophum optimum; sive, ut in-  
comparabilis Casaubonus de eo pronun-  
ciat, virum & à generis splendore, & ab  
instructu disciplinarum, & à rebus gestis  
& alijs ingenij monumentis nobilissimū,  
pacis belliq; artis non minus, quàm studi-  
orum



orum laude longè clarissimum; & quem ipse M. Tullius inter bonos authores primum; alij inter optimos scriptores laudant verissimum; cujus virtutes qui digito designare possint, vix tres hodie in Europâ extare putat divinus Scaliger. In ejus historiâ, dum inter alia stupendam illam Apellis, ducis militum eminentissimi, fortunæ varietatem legi, judicium super eâ autoris gravissimum admiratus sum; & gnomen notatu dignissimam, omnibus floribus, sive ex Indiâ, sive ex alio remotiore terræ angulo veniant, post posui, quæ ita habet: *Parva omninò interval- la temporis homines attollunt, rursusq; deji- ciunt: eos verò maximè, qui in aulis princi- pum versantur. Isti enim similes sunt aba- corum calculis, qui, ut secundum voluntatem calculatoris, modò obulum æreum, modò ta- lentum aureum valent: ita illi ad nutum principis, nunc beati fiunt, mox miseri.* Hunc flosculum fragrantissimum ex agro Poly- biano decerptum, dignum judicavi, Au- ditores, cui non manus & nares, sed ani- mum admoverem propi<sup>9</sup>. De quo nunc, mirandas illius vires enarrando, vestrâ at- tentione præfabor; & quidem citra sen- tentiæ



tentiæ dictionem, saltem per exempla. Sublimiores enim sunt arbitrio nostro, casuum istorum gravissimorum dijudicationes; & tutius est narrare eos, quàm judicare. Vos, quæso, perpendite, & judicij libertatem integritati vestræ congruere ne dubitate.

Apellis igitur, quem dixi, fortuna, memorante Polybio, hæc fuit. Erat ille unus ex tutoribus, quos Antigonus, rex Macedoniae, Philippo privigno reliquerat; gratiâ & autoritate plurimum apud utrumq; regem pollens. Cæterum homo præfractus, inquit Historicus, subjugandis populis, etiam interdum contra regis mandata, nimium deditus; potentiæ sublimioris affectator, erga alios invidus; Aratum aliosq; amicos regis fidelissimos, odio & calumnijs infestans; partium studiosus, seditiosorum fautor; cujus insolentiam quoq; rex ipse adolescens, ob summam viri autoritatem; æquius aliquanto ferre cogebatur. Præfectus enim erat Chalcidi, insulæ urbiq; potentissimæ; ubi præter officium liberius cum exercitu se habens, Regem juvenem ac nullius rei dominum ostentabat, sibiq; imperium atq;



atq; administrationem rerum omnium,  
soli attribuebat. Quo factum, ut Mace-  
doniæ atq; Thessaliæ principes, omnia  
jam ad hunc unum referrent, omnesq;  
Græciæ civitates, in suffragijs & honori-  
bus, brevi tempore regis sui obliti, ad so-  
lum Apellem respicerent. Hæc cum jam  
diu rex Philippus intellexisset, graviter  
tandem & iniquo animo ferre coepit; præ-  
sertim Arato eum ad hoc continuè stimu-  
lante. Adeò tamē prudenter dissimulabat  
ut mentem ejus nemo prorsus intellige-  
ret, donec de seditione irrito conatu exci-  
tatâ suspectus Apelles, è Chalcide accer-  
feretur. Hic regiæ intentionis ignarus,  
putansq; quamprimùm conspectu regis  
frueretur, omnia se, ut antè, ex sententiâ  
consecuturū, ex Chalcide Corinthum ve-  
nit. Cùm urbi appropinquasset, illi qui ab  
ipso dependebant, & scutatis cæterisq;  
gravioris armaturæ militibus præerant,  
magno studio eū excepere, hortati juven-  
tutem, ut redeunti obviam procederent.  
Magnâ igitur militum catervâ, stipanti-  
umq; ducum pompâ comitatus, rectâ ad  
regiâ contendit. Cùm autem ingredi sta-  
tim vellet, ut consuêrat, janitor quidam,  
expe-



expectare eum iussit, occupatum esse in  
 præsenti regem dicens. Apelles novita-  
 tem rei demirans, aliquandiu hæsitabun-  
 dus constitit: mox mœstus atq; inops con-  
 silij, comitibus dilapsis, solus cum servu-  
 lis domum pervenit. Tandem rex eum,  
 suspicione ingravescente, unâ cum filio  
 capi interficiq; & diu talenti loco habitû,  
 obulum valere iussit. Prius autem quàm  
 ab hoc Apelle progrediamur, ipsius quo-  
 que Arati, cujus jam suprâ mentio facta,  
 miseram fortunam ex eodem Polybio  
 nostro percipite. Quanquam enim ille  
 virtute rebusq; præclarè gestis Apellem  
 antecellebat plurimùm, & regi fidus opti-  
 meq; de regno merit<sup>o</sup>, apud cunctos non  
 nisi benè audiebat; non minus tamen pe-  
 riculi ex famâ magnâ, quàm ex malâ sen-  
 sit: in eo tantùm exitu diverso, quòd A-  
 pelles mox & palàm, Aratus verò clàm  
 & paulatim, lento veneno interemptus  
 est: ita tamen, ut malum hoc eum non  
 lateret. Quod quidem diu celatum, cum  
 inevitabile videret, tandem amico Ce-  
 phaloni aperuit, cum in cubiculo spumâ  
 cruentam ejiceret, & de eâ interrogatus  
 responderet: *Hæc sunt, ô Cephalon, præmia*  
*regia*



*regiæ amicitia.* Habuit post hos, idem rex Philippus alium quoq; Heraclidem Tarentinum, cui ex manuarijs licet opificibus nato, tamen quia ad vecordiam astusq; singulariter erat instructus, & ad malitiæ studium accommodus, tantum fidei dedit & potentiæ, ut eum navalibus copijs suis præficeret, ipse terrestribus imperans. Sed & hunc postmodum, cum maximæ invidiæ sibi esse cerneret, multis criminibus oneratum, in vincula coniecit, ingenti populorum gaudio, quod Livius describit fasius. Has artes Macedonicas diu antè exercuit etiam Monarcha Græcorum Alexander Magnus. Ut enim non tantum Parmenionem, virum domi militiæq; clarissimum (qui multa sine rege prosperè, rex sine eo nihil gesserat magnæ rei) sed etiam Clytum, qui regem apud Granicum amnem nudo capite dimicantem clypeo suo texerat, tandem peremerit; & illum quidem simulatis literis per alios, hunc verò ipse in convivio; pluribus scriptum reliquit Q. Curtius. Quin nec ipse DEI populus, in regno divinis legibus stabilito, ab hac labe prorsus immunis fuit. Joabus enim, vir acer.

E

&amp; cal-



& callidus, militiæ Davidis ejusq; consili-  
 orum arbiter, cùm à vivo rege non ever-  
 teretur, jussus est cædi à successore. Omni-  
 um verò maximè hoc malo laboravit  
 monarchia Romanorum, in quâ multo-  
 rum scriptis ante cæteros celebratur Æli-  
 us Sejanus; de quo civilis prudentiæ prin-  
 ceps, Cornelius Tacitus : magnâ , inquit,  
 apud Tiberium erat autoritate, rector ju-  
 veni, & cæteris periculorum præmio-  
 rumq; ostentator, cui Patres effigiem cen-  
 suère, quæ apud Theatrum Pompeij loca-  
 retur. Is verò Tiberium varijs artibus a-  
 deò devinxerat , ut obscurum adversus  
 alios, sibi uni incautum intectumq; effe-  
 cerit. Corpus illi laborum tolerans ( Hi-  
 storici utor verbis ) animus audax, sui ob-  
 tegens, in alios criminator, juxtâ adula-  
 tio & superbia, palàm compositus pudor,  
 intus summa adipiscendi libido: Neq; se-  
 natorio ambitu abstinebat, clientes suos  
 honoribus aut provincijs ornando; facili  
 Tiberio atq; ita prono, ut socium laborũ  
 non modò in sermonibus, sed apud Pa-  
 tres quoq; & populum celebraret, coliq;  
 per theatra & fora effigies, interq; princi-  
 pia legionum sineret. Ad consulatum  
 non



non nisi per Sejanum aditus, neq; Sejani voluntas nisi scelere quærebatur. Et, ut Dio addit, studiosè colebatur ab omnib<sup>9</sup>, salutabatur, deducebatur, & jam non erat alter à Tiberio, sed alter Tiberius: imò ipso Tiberio major; adeò, ut si quis deorū de coelis descendisset ( ejusdem Dionis<sup>9</sup> sententiâ ) fidem invenisset nullam. Jam enim omnes jurabant per fortunam Sejani, quia nemo unquam honoribus tam magnis, tam insperatis, tam universis functus fuerat quàm Sejanus. Sed quis tandem ejus exitus? Romanum sapientem, audite: Quo die, inquit, illum Senatus deduxerat, populus in frustra divisit, & in quem quicquid congeri poterat, dii hominesq; contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Nam nimiâ potentiâ jam metuendum, & spe tribuniciæ potestatis, hoc est, consortij & successionis imperij securum, Tiberius astu tandem subvertit, subitò ac si res novas contra se moliretur; longâ & crimosâ epistolâ è Capreâ Insulâ ( ubi tum manebat Tiberius ) ad Senatum scriptâ. A cujus lectione Sejanus mox retentus, & cum omni stirpe suâ fuit occisus: cadaver triduo

E 2

publicè



publicè ludibrio habitum, demùm in Tiberim projectum. Quin etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est (quod acutè dubitat Valerius) quæ meretur supplicia, pendit. Nimirum

————— *qui nimios optabat honores,  
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat  
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset  
Casus, & impulsæ præceps immane ruina.*

Etsi verò, Auditores, casus iste Sejani omnium sit gravissimus, & vix sine horrore cogitandus, nihil tamen min⁹ quàm solus fuit, aut Romæ ultimus. Ut enim Tiberius ex intervallo Neronem imperij: ita Sejanus Sophonium Tigellinum fortunæ habuit successorem; qui, ut idem memorat Historicorum præcipuus, obscuris erat parentibus, foedâ pueritiâ, impudicâ senectâ. Præfecturam vigilum & prætorij, & alia præmia virtutum, quia velocius erat vitijs adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam & virilia scelera exercuit: corrupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro ausus, ac postremò ejusdem desertor ac proditor. Sed quid postea? Populum habuit infensum, qui tam diu seditiosis vocibus obstrepebat, donec



donec Tigellinus, accepto apud Sinuessanas aquas extremæ necessitatis nuncio, inter supra concubinarum & deformes moras, sectis novaculâ faucibus, infamem vitam foedavit. Eâdem fortunæ Romanæ inconstantia, innotuit quoq; Antoninus quidam Plautianus, natione Afer, quem Severus Imperator ex humili fortunâ ad honores summos maximasq; opes provexerat; eò usq;, ut etiam Bassiano filio filiam Plautiani dederit; cui pater tantum dotis concessit, quantum reginis quinquaginta fuisset satis. Ad eum aliquando populus dicebat in circo: Tu quidem plus possides, quàm tres viri: intelligebant autem tres viros, Cæsarem cum duobus filijs, Antonino & Getâ. At enim, scribit Dio, opibus & licentiâ fretus, omnia concupiscebat, omnia petebat, omnia accipiebat, nec gentem nec urbem ullam relinquebat non spoliata, sed omnia & undecunq; rapiebat: ex quo etiam magis quàm Cæsar ipse timebatur. Imò cælum dicebant ruere citius posse, quàm Plautiano damnum à Severo inferri. Homo trux & horribilis, quem non modò non adibat quisquam, sed à quo et-



iam, qui occurrebant fortuito, oculos avertent. Sed tandem, cum Cæsari & filiis insidias struere crederetur, ab eo in palatium vocatus, ipso Imperatore spectante interfectus est, & cadaver in viâ monstratum publicè. Similem vitæ tragœdiam narrat Herodianus de Cleandro Phryge, qui eâ hominum notâ prodiens, qui publicè per præconem veneunt, in domum Commodi Imperatoris, servitio fuit traditus: accrescens verò eò honoris & autoritatis profectus, ut corporis custodiam, cubiculi curam, & militum præfecturam obtineret solus. Hinc ad Imperij spem inflatus, populi militumque animos publicarum largitionum splendore inescare nitebatur. At Romani jam pridem infensi, simul hominem nunquã satiandũ perosi, prius conferim per theatra traducere, magnisque clamoribus Cleandrum deposcere ad necẽ. Ille contrà autoritate Commodi tam diu tutus, donec insidijs ipsius per Fadiam Cæsaris sororem detectis, Commodus caput ei amputari, contoque præfixum publicè circumferri iussit: populo spectaculum ut diu desideratum, ita acceptis-



ceptissimum. Quod ipsum quoq; paulò  
 antè Pereñio cuidam Italo, ab eodem Im-  
 peratore Comodo factum, prolixè idem,  
 refert Herodianus. Plura adhuc, imo infi-  
 nita ferè sunt, Auditores, in historiâ Ro-  
 manâ ejusmodi monstrorum exempla.  
 Sic enim & Ætium ducem suum Valenti-  
 nianus Imperator, falsâ suspitione mot⁹,  
 interimi curavit, cùm eum antea in deli-  
 tijs habuisset, & ipsius operâ ingentes At-  
 tilæ copias in campis Catalaunicis profli-  
 gasset. Sic Philippum quendam evexit  
 Gordianus, & interfecit. Sic Eutropium  
 Arcadius, nimix potentix studiosum,  
 in ipso consulatu capite truncari jussit.  
 Sic Augustus Agrippam abdicavit.  
 Sic Adrianus, Imperator cætera opti-  
 mus, non unum aut alterum, sed pluri-  
 mos amavit, evexit, deturbavit; quos⁹  
 omnes Spartianus, quasi tabellâ depictos,  
 uno intuitu ita cognoscendos exhibet:  
*Facile, inquit, de amicis quicquid insu-  
 surrabatur, audivit, atq; ideò propè cun-  
 ctos vel amicissimos, & quos summis honori-  
 bus evexerat, postea in hostium loco habuit:  
 ut Tatianum & Nepotem, & Septitium Cla-  
 rum. Nam Eudæmonem prius conscium impe-*



*rij, ad egestatem perduxit: Polyanum & Marcellum ad mortem voluntariam coëgit: Heliodorum famosissimis literis laceſſivit: Titianum ut conscium tyrannidis, & argui passus est & proſcribi: Numilium Quadratum, & Casilium Severum, & Turbonem graviter inſecutus est: Servianum sororis virum, nonagesimum jam annum agentem, ne sibi superviveret, mori coëgit.* Sed ne Romanis duntaxat immoremur, aliarum quoque gentium historias, de valore illo aulicorum delibemus. Lyſandrum refert Plutarchus, ab Ageſilao, quem ille in regno Spartanorum adipiscendo egregiè juverat, mirè amatum, omnibusq; alijs præpositum fuisse. Ubi verò Asiatici honorem istum eximium animadvertentes, certatim ad ipsum, neglecto rege, sese convertebant, ipsum observabant, ad eum spes & querelas suas deferebant, non obscure sentit Ageſilaus, quo periculo esset. Itaq; infra omnes tandem deſſit, quem ante supra omnes eminentem reddiderat. In Sicilia regno ita Philistum suum Dionysius florere aliquandiu, post marcescere fecit; & quem modò talentum, mox obulum valere imperavit. In eadem

eadem



eadem Sicilia rex Gulielmus Majonem, quendam Barensem, nunc talenti, nunc obuli loco posuit. In Hispaniâ post Antonium Perezium ( qui in patriâ primùm summo regis favore gaudens, post exul in Galliâ, à rebus & hominibus desertus, vitam cum morte miserè commutavit ) illustre exemplum præbuit non ita post annos multos, Marchio Deniæ, quem Philippus III. Hispaniarum Indiarumq; rex potentissimus, nimio amore prosequens, ducem Lermæ constituit, & cum indignatione omnium principum, non tantùm sibi parem, sed etiam se majorem fieri passus est. De quo multa narrat Petrus Matthæi, Galliarum regis historiographus nobilis, & præter alia hoc memorabile: Rex cùm aliquando à deambulatione rediret, reperit in mensâ epistolam signatâ, cum hac inscriptione: *Philippo III. Regi Hispaniæ, nunc in servitio ducis de Lermâ existenti*: quâ Rex inspectâ risit, & ad ducem Lermæ conversus: vide sis, ait, quid de nobis scribatur. Sed finem ille tandem habuit, quem tragoedia quædam in contumeliam ejus ficta, antè repræsentaverat; nimirum post querimonias de injurijs,



rijs, membratim à furibundo populo fuit  
 discerptus. Excipiat hunc Alvarus de  
 Lunâ, tempore anterior, quem ex humi-  
 li fortunâ fatum, ardentissimè comple-  
 ctatur Johannes rex Castiliæ, supraq; o-  
 mnes amicos evehebat. Opibus, titulis,  
 præfecturis quotidie hominem augebat,  
 tantiq; æstimabat, ut vel bellum ejus caus-  
 sâ gereret cum vicinis regibus & cogna-  
 tis. Comitatus addebat quinq; , septu-  
 aginta arces, subditos viginti mille. Sed  
 quo exitu? Rex tandem occultè subdu-  
 xit se Alvaro, odit quantum amaverat;  
 deniq; paucis conscijs, in oppido Bergen-  
 si sagaciter hominem in vincula jubet  
 conjici, damnari, caput abscindi, & in fo-  
 ro per triduum ostendi. Cadaveri quo-  
 que vasculum fuit appositum, cui stipem  
 immitterent prætereuntes, funeris sum-  
 ptibus impendendû. Ex Hispaniâ in An-  
 gliam progrediamur. Fuit ibi, avorû me-  
 moriâ, Thomas Wolsæ<sup>9</sup>, lanij fili<sup>9</sup>, cui non  
 obstitere sordes domesticæ, quin apud  
 Henricum VIII. regem, autoritate & gra-  
 tiâ alios præiret omnes. Factus Episcopus  
 Eboracensis, & post hanc dignitatem, ga-  
 lerum quoque Cardinalitium adeptus,  
 regem



regem ad quidvis pro libitu permovebat. Hinc tanto fastu & opinione sui lascivus, cum de regni causis maximis, ad Papam aut exteros scriberet reges, ita plerunq; literas exordiebatur: *Ego & rex meus.* At rex tandem non hominem, sed ex imposturis, ambitione, superbiâ & rapinis larvam contextam perspicuens, animum ab eo alienavit, & ad causam dicendam Londinum evocari iussit: ille verò ut supplicium præveniret, in itinere hausto veneno, factus est homicida sui ipsius. Successit huic Thomas quidam Cromelius, famulus, qui hero sublato nihil cautior factus, ut dignitatum & potentiaæ fuit æmulus, ita parem quoque sortitus est vitæ exitum. Nam & ad summas dignitates pervenit, solusq; regi acceptus fuit: & verò etiam securi tandem percussus. Ex Angliâ si ulterius in Scotiam, exspatiari lubet, videre licebit Conani & Argadi pro regum casus, qui superbiâ & ambitione immodici, turpiter sunt præcipitati. Davidis Rizij, in eodem regno, metamorphosin omnes Ovidianas excedentem, eruditissimus Buchananus in historiâ Scotiæ scriptam reliquit



quit copiosius. Ex Scotiâ porrò in Sueciam transfretare ne quæso pigeat. Ibi ante annos septuaginta tres, regni clavum tenuit Ericus, Gustavi I. optimi parentis filius pessimus; qui malis consultoribus usus, multa crudeliter, plura imprudenter, omnia cum offensione regni procerum perpetrabat; ita ut fratrum quoq; animos adversus se irritaret. Ducem verò & incentorem tyrannidis fovebat Georgium quendam Petri filium, alias Preschonem dictum; cujus fortuna splendida admodum initiò, catastrophæ habuit tragicam maximè omnium. Primùm enim qui dives aliquandiu erat, fortunâ & potentiâ summus, mox patibulo suspensus, deinde rotâ contusus, tandem in quatuor partes fuit dissectus. Sed relicto Septentrione si in Orientem penetrare tempus permetteret; aut etiam Europæis immorari, & in Galliam excurrere; illic Hebraymi Vesiris à Solymano; heic verò Engerrani à Philippo Pulchro, nec non Comitibus Sancto-Paulini, Conestablij maximi, à Ludovico XI; Cominæ item omnium prudentissimi, inter antiquiores: ex recentioribus verò ducis Bironis ab Henrico Magno;



gno; & post illum, Marchionis Anchori-  
 tani ab eo, qui nunc rerum in Galliâ po-  
 titur, Ludovico XIII, prius ad summas  
 dignitates evectorum, tandem verò mi-  
 ferrimè interfectorum exempla, telæ no-  
 stræ attexere possemus: quorum horren-  
 da vestigia ipse partim vidi, cùm Galliam  
 paulò post Anchoritani casum peragra-  
 rem. Etsi enim multa videri possunt, Au-  
 ditores, quæ hætenus recensuimus por-  
 tenta, non pauciora tamen adferri pos-  
 sent vetera, nova, Romana, extera. Ut  
 de Valerio Liciniano, de Ugolino Girade-  
 sco, de Paulo Guinifio, Albuquerque, de  
 Duarte Pacieco in Lusitaniâ; de Confal-  
 vo Magno, de Ferdinando Cortesio in  
 Hispaniâ; in Siciliâ de Bernardo Capre-  
 râ; de Nicolao Fedinâ in Italiâ; de Jacobo  
 Urgelensi in Arragoniâ, in Borussiâ de  
 Scalichio, alijsq;: quos omnes incertissi-  
 mus fortunæ flat<sup>9</sup> in sublime elatos, mox  
 improvise decursu destitutos, profundo  
 cladium miserabiliter immerfit; & quos  
 propensiore favoris aurâ primò delinivit,  
 majore postea malorum cumulo oppres-  
 sit. Sed brevitatis memor, unicum ad-  
 huc præ alijs insigne, quod illustris Thua-  
 nus

nus



nus prolixè scriptum reliquit, adjiciam, & quidem carptim; dignū quod hoc tempore ab omnibus perpendatur. Summa hæc est: Cūm Johañes Ungariæ rex, successio- nis jus Ferdinando I. Romanorum regi laudatissimo, controversū fecisset, morti propinquus, Stephano filio tutorem cum reginâ matre, Sigismundi Augusti Poloniae regis sorore, testamento dedit Georgium Martinusium, consiliarium præcipuum, natione Dalmatam, nobili familiâ, sed in re tenui educatum; initio vitæ monasticæ, postea verò, ubi latinè effari doctus, aulæ deditum. Hunc Johannes, Ferdinando tandem in regem assumpto, apud socerum in Poloniâ exul, maximis rebus adeò fidum aptumq; habuit ministrū, ut eum in secretis consilium adscisceret, & non tantum tutelâ regiâ, sed etiam alijs dignitatibus summis exornaret. Sed ille ambitiosus & dominandi supra modum cupidus, ingenio suo utebatur, & res reginæ viduæ insuper habens, modoq; ad Ferdinandi, modò ad Solymani partes inclinans, neutri fidem servabat. Occasionem aliquò usq; aucupabatur Ferdinandus, & ambitiosi hominis vastum

vastum



vastum animum, obviâ liberalitate & cumulatâ honoribus explere fatagens, Daciæ præfecturam cum Waiwodæ titulo ipsi concedebat, attributâ quindecim millium aureorum pensione: simul & magni quæstoris munere adjecto, quater mille aureorum, salinarumq; vectigalibus immensi redditus. Nec multò post etiam Strigonensi Episcopatu eum donabat, annuo redditu quinquaginta mille aureos excedente. Quin & galeri purpurei honos, procurante Ferdinando, à Julio III. Pontifice ultrò ipsi delatus. Non tamè sufficiebant ista, quamvis maxima, hominibus altiora affectanti. Semper quadringentos equites ferè nobiles, & ducentos sclopetarios ad latus habebat, curru trahi solitus ab equis octo conspicuis, quos plurimi insignes ponè sequebantur, quibus in silire interdum consueverat. At Ferdinandus hæc omnia parùm ab illo aestimari videns, suspectum tandem habere hominem: quam occasionem inimici captantes, calumnijs eum traducere, quasi cum Solymano consilia agitaret. Mox itaq; Ferdinandus secreta mandata dat ad Johaennem Baptistam Castaldum, castro.



strorum præfectum, tunc temporis in Dacia, unò cum Martinusio contra Turcarum copias strenuè militantem; jubetq; si adhuc in Dacia esset cum exercitu, ne provinciâ egrederetur, sed omni ratione tentaret, ut Martinusium aut in potestatem redigeret, aut si aliter non posset, è medio tollendum curaret. Rem Castaldus prudenter dissimulat, donec tandem cum Martinusio, quasi animi gratiâ Bintium, castellum loco amoeno ab ipso Martinusio ædificatum, veniret. Ibi re cum Sfortiâ Pallavicino, Hispani peditat<sup>9</sup> præfecto, alijsq; manu promptis communicatâ, maximâ silentij fide nox proxima facinori destinatur; quæ cum insolito ventorum fragore, & horridis nimbis tempestuosa admodum esset, Martinusij casum portendisse credebatur; in cujus cubiculum conjurati hac tandem arte irruerunt. Erat quidam Marcus Ferrarius, Castaldo ab epistolis, homo prostituta audaciæ, jam ab aliquo tempore Martinusio familiarior factus. Is nondum illucescente die ostium cubiculi pulsât, & literas Martinusij manu subscribendas præferens, Sfortiam ad regem profecturum significat.

gnifi



gnificat. Continuò introducitur. Sfortia ad fores, invito cubiculario ingressus, substitit. Surrexerat jam Martinusius, & ut in hyeme, duplici veste è sebellinis pelibus tectus, relegendis pro more rerum agendarum commentarijs intentus, ad mensam sedebat. Cùm Ferrarius ad eum familiariter accedit, & Sfortiam à Castaldo missum ad fores stare monet, ut si quid imperare velit, ejus mandata ad regem perferat. Tum porrectis literis, dum Martinusius calamum sumit, ut nomen apponeret, Ferrarius raptum pugionem in petus demisit. Mox ad strepitum accurrens Sfortia, stricto ense gravi vulnere medium quasi caput divisit; cùm ille interea DEI nomen crebrò inclamaret, & eos fratres appellando, fidem nequicquam reposceret: cæteri conjurati supervenientes, repetitis ictibus adhuc spirantem confoderunt. Hunc exitum ( audite quæ subjungit ævi nostri Historicorum gravissimus ) habuit Martinusius, septuaginta circiter annos natus; qui ex humili fortunâ ad summum honoris fastigium, & regibus parem potentiam evaserat, vir pace belloq; clarus, & profundâ prudentiâ cum

F

pau-



paucis comparandus; quam dum temporibus accommodat, & patriæ ferè semper bono, Turcarum voluntati morigeratur, multorum invidiam, ac postremo exitiale odium in se concitavit. Et quæ sequuntur apud illustrem scriptorẽ lectu dignissima. O igitur *fortunam reverenter habete, quicumq; ab exili loco progressi, repente divites extitistis*: & quia semper periculosum est, privati hominis nomen juxta Principis attolli, Politicorum prudentissimo, C. Cornelio Tacito, fidem habete, nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum esse monenti, quàm famam potentia, non suã vi nixæ; nimisq; tenue illius foederis vinculum, quod plurimum odio neçtitur. Romanum Hispanem cogitate, quem idem refert, potentia apud unum, odiũ apud omnes adeptum, exemplum dedisse, quod sequuti ex pauperib<sup>9</sup> divites, ex contemptis metuendi, perniciẽ alijs, ac postremò sibi inveniant. Quin & illud à Plutarcho præclare scriptum perpendite, esse & politici cursus finẽ quendam ac terminum; nec minus civilia certamina quàm athletica, vigore & tempore destituta, vituperari ac coargui. Verius enim

enim



enim multò quàm ex tripode pronuncia-  
vit Macrobius:

*Summum ad gradum claritatis cum veneris,  
Consistes agrè, & citiùs quàm descendas, de-  
cides.*

Neq; enim his gradibus, quibus ad sum-  
ma perventum est, retrò itur; sed saepe in-  
ter fortunam maximam & ultimam, nihil  
interest. Imò ex summo retrò volvi fortu-  
na consuevit; quæ quò altius evehit, hoc  
magis varios casus timere conveniet. Si-  
quidem in publicâ hominum ambitione,  
calumniatoribus recta in deteri<sup>9</sup> torquen-  
tibus, hominis etiam justi parum tuta est  
simplicitas. Accedit, quod lubrici sunt,  
humanorum gradus ascensuum, tremul<sup>9</sup>  
vertex, horrendum præcipitium. Itaq; æ-  
grè conscenditur ad eminentem statum,  
anxiè ibi consistitur, graviter inde & re-  
pente descenditur. Nam &

*Sæpius ventis agitatur ingens*

*Pinus: & celsæ graviore casu*

*Decidunt turres, feriuntq; summos*

*Fulmina montes.*

Præsertim verò imperium cupien-  
tibus, nihil medium inter præcipitia  
F 2 est



est & summa: sed inconsultus vanusq; cursus, qualis formicis per arbuſta repentibus; quæ, ut Senecæ habent verba, in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. Maximæ igitur fortunæ minimum credendum scitote. Ut enim, quod Varro præclare dixit,

*Nemini fortuna currum carcere emissum intimo,*

*Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit:*

& Aufonius de Marcello Narbonensi;

*— nunquam jugem cursum fortuna secundat,*

*Præsertim pravi naçta virum ingenij:*

ita alternans eos crebrò ludit, quos magno favore locavit altius. Nam quos diu prosequuta est, repente velut fatigata destituit: & potentia ubi nimia, nunquam satis est fida. Summa namq; dignitas & dantem & accipientem gravat. Rationem reddit Tacitus, scriptor nunquam satis laudatus: quia simul fatietas capit utrunq;: illum, cùm omnia dedit, hunc, cùm jam nihil reliquum est, quod capiat. Equidem paucis hæc exactiùs nosse, paucioribus rectè usurpare datum est, Auditores,



tores. Intellexit tamen & obtinuit feliciter Xantippus apud Carthaginenses; M. Lepidus & L. Piso apud Romanos, sub Tiberio; L. Volusius & Memmius Regulus sub Nerone; alijq; horum similes. Atque hos paucos imitandos, civilis prudentiæ antesignani inculcant: & unà cum primis illud, varietates istas & mutationes lubricas, non fortunæ cæcæ, sed DEI providentiæ inscrutabili, certissimæ tamen, adscribendas esse. Id quod nec ipsos paganos cordatiores clàm fuisse, videre est ex eo, quod Tacitus, ultra Politicorum vulgus sapiens, Sejani fortunam suprâ memoratam, deorum iræ in rem Romanam tribuit: & quod Valerius Max. deorum tunc vigilasse oculos, & sacra Reipublicæ præsentî numine vallata scribit. Etsi enim verissimè Polybius noster (in quo ut cœpimus, ita desinemus) res egregiè gestas & præclara facinora, invidiæ atq; calumnijs obnoxia esse, in Xantippi historiâ asserit: pestes tamen istas Numinis ope evitabit, qui actiones suas ad auream istam regulam conformare laboraverit, quam Poëta piè Christianus ita expressit:



*Credita cui fuerit moderandi magna pote-  
stas,*

*Officium faciat cum pietate suum,*

*Observet Regem vero studiosus honore,*

*Nec bona communi praeferat ulla bono.*

*Non alijs obsit, nec se nimis efferat, &  
quos*

*Ingenue novit simplicitatis, amet.*

*Invideatq; datum non cuiquam torvus ho-  
norem,*

*Nec paret insidias perniciemve struat.*

*Quisquis ad haec animum facienda induxe-  
rit, ille*

*Purus, & aeterno tempore salvus erit.*

Atq; cum hoc voto oratiunculam fi-  
niens, ad Vos, Viri consultissimi & clarif-  
simi, DN. WILHELME LUDWEL, & DN. LU-  
DOVICE JUNGERMANNE, Doctores & Deca-  
ni spectatissimi, amici pl. honorandi, ser-  
monē dirigo; & ne diutius Vos vestrosq;  
Candidatos, cū toto hoc auditorio splen-  
didissimo, suspensos teneam, licentiam,  
quam petijstis, approbantibus Nobilissi-  
mis Dnn. Scholarchis, lubens meritoq;  
concedo. Agite ergò, & quod DEUS benè  
vertat, Candidatos vestros clarissimos  
præ-



præstantissimosq; *Dn. Nicolaum Rittershu-*  
*sum Altorphinum, Dn. Wilhelmum Schröte-*  
*rum Saltzungo-Thuringũ*, Doctores Utri-  
 usq; Juris; tertiũ verò, *Georg. Balthaf. Wol-*  
*fartum Schwinfurtensem*, Doctore Medicinæ  
 renunciare, & prævio jurejurando, alijs-  
 que solemnibus consuetis, omnia illis pri-  
 vilegia propria facite, quæ tenor inclytæ  
 Universitatis nostræ immunitatũ, ab augu-  
 stissimo Cæsare, Ferdin. II. &c. Dn. nostro  
 clementissimo concessarũ, loquitur spe-  
 ciatim & perpetuò. Sic fiet, speram⁹ & vo-  
 vemus, ut quemadmodum Illustrissimus  
 Saxonix princeps, Johanes Ernestus, &c.  
*Schröterum* suum, consiliarium; & civitas  
 Svinfurtensis *Wolfgangum* suum, medicum,  
 avidè præstolantur & quotidie deside-  
 rant: ita Academia & Respublica no-  
 stra *Rittershusum* nostrum, Antecesso-  
 rem & consiliarium videat longè acce-  
 ptissimum, *Dinneri* cognati piè defuncti,  
 Jcti præcellentissimi successorem dignif-  
 simum: è cujus vultu dum patris quon-  
 dam professoris & consiliarij omni lau-  
 de majoris, imaginem elucere Academia  
 cernit; ejusdem quoq; virtutes, pieta-  
 tem, candorem, prudentiam juris, huma-  
 niorum



niorum disciplinarum scientias elegantiores, deq; omnibus benè merendi studium singulare, non immeritò sibi pollicetur: quam spem non decollaturam esse, spondere aufim Vobis, Auditores.

## D I X I.



## ORATIO IV.

*Pro C. Matio contra M. T. Ciceronem,  
de gradu quodam Sapientie fugi-  
endo.*

Habita XVI. Novemb. M. DC. XXXV.  
cùm GEORG. GROSMAN, & WOLFFG. FRID.  
HELDIUS, Doctores Juris renun-  
ciarentur.



Anni sunt septem & triginta,  
cùm Scipio Gentilis, Jctus de  
Academia & studijs nostris  
præstantissimè meritus, orati-  
onem ex hoc loco habuit de re inter mor-  
tales, ut videbatur, omnium maximâ: de  
causâ nimirum Cæsaris & Pompeij; tan-  
tine illa fuerit, ut Rempublicam sangui-  
ne ci-



ne civili foedari oportuerit? & justéne  
 Cæsar, bonoq; publico ad principatum  
 populi Romani, hoc est, omnium genti-  
 um victoris dominiq; pervenerit? Id  
 quod ille, pro eruditione & prudentiâ suâ  
 insigni, Achillæis argumentis evicit, pu-  
 blicâq; cum approbatione testatum reli-  
 quit posteris: ut ut aliter visum fuerit Ca-  
 toni, etiam ab ipsis dijs in causâ istâ gravis-  
 simâ dissentienti; & quem unum M. Tul-  
 lius pro centum millibus habuit; imò so-  
 lum, si quenquam, Sapientem putavit.  
 Inter alia autem, quibus Doctor noster p.  
 m. pro confirmanda sententia sua nititur,  
 autoritas est atq; testimonium C. Matij,  
 hominis, ut eum vocat; optimi & erudi-  
 tissimi; vel, ut Tullius eundem laudat ad  
 Atticum temperati & prudentis; quemq;  
 idem Tullius ad Trebatium, ut familia-  
 rem suavissimum doctissimumq; com-  
 mendat. Is enim Matius, teste Suetonio,  
 Cæsaris amicus, vir ex equestri ordine,  
 impensè doctus (quibus laudibus eum  
 ornant Plinius, & noctium Atticarum  
 scriptor) in epistolâ quadam ad Cicero-  
 nem, asseverare nihil veritus est, Cæsaris  
 causam neq; malam, neq; obitum ejus u-  
 tilem



tilem fuisse Reipublicæ. Quod ut ille non solum firmiter persuasum habuit; ita ipse quoq; eventus tandem, contra omnes aliter sentientes, comprobavit. Cæsaris enim interitu totam Rempublicam perturbatam, omnesq; gentes, atq; ipsum orbem terrarum iterum bellis collisum ac conquassatum fuisse; usq; dum Octavij Augusti Monarchia à C. Julio cæpta, pacem orbi reddidit, ex historiâ Romanâ novim<sup>9</sup>. Ut autem epistolâ illâ C. Matij ad Ciceronem, nihil modestius, nihil probius, nihil sapientius, nihil mundius, nihilq; verius fingi posse, Scipio noster professus est: ita illud cum primis admirationē ac laudem meretur singularem, quod, cum Matius ætatis virilis, videret Ciceronem senescentem, pro varietate fortunæ Cæsaris, non tantum animum mutare, & quem florentem amaverat, jacentem odisse; sed alijs quoq; ut idem facerent, autorem esse: obviandum ipsi non dubitavit, inq; hæc verba tandem erupit: *Non agam astutè, fateor me ad istum gradum Sapientie non pervenisse.* Quæ verba ab homine candidissimo pariter ac sapientissimo prolata, ulteriori consideratione digna  
mihi



mihi videntur: neq; absona, quæ vel hoc tempore, vel hoc loco, vel etiam in hoc actu Universitatis, iudicio vestro acutissimo dijudicanda proponantur. Tempus enim si respicimus AUDITORES, non est qui nesciat, si unquam, certè hoc tempore nihil minus, proh dolor! quàm tranquillo, Sapientiâ non fucatâ op<sup>o</sup> esse maximè. Sin locum; is est, in quo gradus Sapientiæ ita docentur, ut sinceri à falsis eruditâ dexteritate discernantur. Sin actum hunc solennè; talis est, ut veræ Sapientiæ præmia illis tribuamus, qui virtute atq; eruditione suâ dignos se præstare unicè laborant. Fretus itaq; benevolentia vestra consuetata, pro Matio contra Ciceronem dicam, & sententiam illius, hujus opinioni anteferendam longè esse, evincere conabor: illud operam daturus, ut non tam verborum ampullis, quàm rerû pondere, quod volo, assensu vestro obtineam.

Ante omnia autem obicè illum amovendum mihi esse arbitror, quem in limine statim & præcipuè nobis opponi posse faciliè animadverto: autoritatem dico Ciceronis; utpote cujus vel solum nomen, omnem laudis splendorè superans,  
aliud



aliud quasi jure suo postulare sibi videtur. Quicquid enim pro Matio nostro dixerim, statim contrà occurreretur: atqui aliter judicavit Cicero: cujus sententiam impugnare, tantum non piaculum nonnulli putabunt. Verum ut ipse Cicero, cum L. Murenam contra crimen ambitus defenderet; & autoritatē Catonis, quem in omni virtute principem dicere solebat, obstare sibi videret; *tolle mihi*, exclamavit, *è causâ nomen Catonis*, *remove ac prætermitte autoritatem*: ita & nobis dicere concedat æquum est: *tolle mihi è causâ splendidum nomen Ciceronis*, *remove ac prætermitte autoritatem maximam*. Sanè fuerit Tullius, quod ultrò largimur, libentissimè fatemur, & maximè prædicamus, Romuli nepotum disertissimus, eloquij Romani autor maximus, divinæ eloquentiæ fulmen, Suadæq; medulla incomparabilis. Fuerit etiam consul cæteroquin prudentissimus, vigilantissim⁹, Rei q; publicæ amantissimus,

— — — *cujus sub jure togæq;*  
*Pacificas sevens tremuit Catilina secures.*

Esto, quòd suis consilijs, ut de se ipse  
 præ-



prædicat, suis laboribus, sui capitis periculo, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu; incensione urbem, internecone cives, vastitate Italiam, interitu Rempublicam liberârit; vitã omnium civium, statum orbis terræ, urbem Romam, hoc est, sedẽ Optimatum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium Imperij redemerit. Mirari etiam liceat omnibus cum Plutarcho, quòd non tam conatum perditorũ hominũ in Republicã represserit, & fontes puniverit; quàm maximum omnium qui unquam extiterunt, motum minimis malis, & absq; seditione ac tumultu sedârit. Concedatur, quòd omnia incrementa sua sibi debens, vir novitatis nobilissimæ, ut vita clarus, ita ingenio maximus, penè solus Romanorum (quod Vellejus existimavit) constitutum rerum naturæ corpus animo viderit, ingenio complexus fuerit, eloquentiã illuminârit. Demus etiam, quòd Plutarchi & Plinij testimonio, à Q. Catulo Senatus principe, & autore publici consilij, frequentissimo Senatu, primus omnium Parens Patriæ appellatus, primus in togã triumphum meri-



meritus, & vel ipso Cæsare dictante, omnium triumphorū lauream tanto majorem adept⁹ fuerit, quanto plus est ingenij Romani terminos promovisse, quàm imperij: quiq; conditor & servator patriæ à civibus nuncupatus, & consulatum suum pro more ejurare jussus, non patriū, sed suum quoddam novum jusjurandum dixerit: nimirum, se patriæ salutem attulisse, & imperium conservasse; quod idem jusjurandum populus quoq; juravit universus. Sit talis etiam, qualem Cornelius Severus deploravit,

*Unica sollicitis quondam tutela salusq;  
Egregium semper patriæ caput, ille Senatus  
Vindex, ille fori, legum, ritusq; togæq;  
Publica vox civis:*

Ille potens & coelesti suâ linguâ Reipublicæ populiq; rector: qui assensione suâ, provincias, exercitus, & tantum non regna dederit: qui Cæsari ipsi Gallias prorogaverit, & Pompejum magnum ad Piraticum bellum miserit; qui regnare in judicijs, in concionibus solus noverit. Sit deniq; qualem laudat Amianus Marcellinus, hoc est, excellentissimus omnium;

um;



um; qui orationis imperiosæ fulminibus, sæpè depressos judiciorum flammis eripuerit. Sint hæc, inquam, & concedantur omnia. Nihilominus tamē quod volumus, vel ex ipsiusmet scriptis evincere licebit: gradum videlicet Sapientiæ ipsius, à Matio nostro meritò reprehensum, nihil aliud fuisse, quàm calliditatem ab honestate non minus quàm à sapientiâ alienam. Etenim non afferam heic, quæ Afinius Pollio, famæ Ciceronis semper infestissimus, ipsi objecit. Neque etiam, quæ Petrus Quinqueran<sup>o</sup> invidiosè nimis in eum congeffit. Nihil dicam de illo existimationis ipsi<sup>o</sup> naufragio, quod in causâ Gabini fecit; quem ob reductionem Ptolomæi regis, prius acerrimè accusatum, iudicibus verò per immensas largitiones corruptis, frendente & indignante populo, absolutum, mox commutatâ voluntate defendit: ob id quidem à Valerio Max. humanitatis nomine laudatus; ab alijs verò, quod reconciliatio ista, privata, publica fuerit prævaricatio, non absque ratione notatus. Nihil, quod M. Crassum, quem pro concione tantoperè laudaverat, paucis diebus post ver-



verbis proscindere non dubitavit. Silen-  
 tio quoq; involvam illam levitatis infamiam, quam, ob legis Manilię suasionem, nomini suo adpersit, cüm modò harum, modò illarum partium assecla, nunc à Senatu ad populum, nunc à populo ad Senatum transiens, utriq; se venditavit, ita ut ab optimatibus nomen transfugę inditum ei fuerit. Sed illud duntaxat, quod ad causam nostram Matianam pertinet, urgebo; eum nimirum & durante & finito civili bello, gradu sapientię usum illaudabili, hoc est, ut liberiori voce veritatem eloquar, inconstanter, leviter & perversè in negotio omnium difficillimo versatū esse. Equidem vereor, Auditores, ne modestię limites transilire, & quasi ad vituperationem Ciceronis, hoc est, viri omnium maximi laudatissimiq;, hunc locum ascendisse vobis videar. Sed nolite, quęso, cogitationibus ejusmodi præmaturis indulgere. Neq; abrepti autoritate nominis tam magni (quod & ego, ob alias doctes summas & divinas, admiror venerorq;) causam Matij nostri optimam, in tempestivo præjudicio suspectam reddite. Quin valeat, quę de nominis magnitudine &



ne & splendore autoritatis nemo nescit, nemo inficiatur: rem ipsam perpendamus, ejusq; rationes indagemus diligentius. Potior enim omni amicitia debet esse veritas; quod præclarè Aristoteles, contra Platonis ideas disputans, inculcavit. Audite igitur, obsecro. Antequam exarserat bellum civile, animo disjuncti erant Cæsar & Pompejus; legionibus uterq; nitebatur, studia partium erumpabant, Quid M. Cicero? In ipsam flammam belli civilis incidisse se, ad Terentiam & Tulliam; ad Atticum verò, nunc medios esse non licere, nunc nullâ in re tam *ἀδελφική* se uti, quàm in illi civili & publicâ; nunc legem illam Solonis, quâ capite sancitum erat, si quis in discordiâ civili alterutrius partis non fuisset, se negligere, temporiq; servire, scribebat. At hæc omnia si non simulatè, certè, inconstanter & astutè. Verè enim & ut plurimum Pompejū amabat, defendebat, sequebatur; eumq; ut regem modestiorem, probiorem & integriorem laudabat; qui nisi vinceret, nomen populi Romani deleretur necesse esset. Imò neminem omnium hominum Pompejo pluris se facere asse-

G

vera-



verabat; amores suos eum vocans, & pro quo etiam libenter emori posset. Quodcunq; ille consilium præcepisset, id sibi persequendum putabat, quia nihil nisi summâ ratione faceret, etiam si fortuna Reipublicæ sit lugenda. Quin & magnâ ei pecuniam mutuam dabat; & si quas habebat facultates, promptissimè deferebat; sapienter id facere sibi visus. Atq; hoc quidem omne (quod medius fidius longè fuit pessimum) non tam Reipublicæ causâ, de quâ jam desperaverat, quàm ipsius Pompeij tantùm, quem quærere, quem cupere se testabatur. Cæsarem contrâ, impudentem vocabat; qui exercitum & provinciam invito Senatu teneret; qui minaces ad Senatum & acerbâs literas daret. Hunc si victor esset, nec in cæde principum clementiorẽ fore quàm Cinna fuerit, nec moderatiorem quàm Sulla in pecunijs locupletium. Inhonestum clamabat, Cæsarem habere exercitum nullo publico consilio: occupare eum urbes civium, quò facilior sit aditus ad patriam, *χρέων ἀποκοπὰς* (verba ejus sunt ad Atticum) *φυλάδων καθόδους*, sexcenta alia scelera moliri, *τὴν θεῶν μεγίστην ὡς ἔχου*  
*τυραν-*



*τηρωιδα*: regnum ejus non modò Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiq; tolerabile fore. Atq; hanc Spartam, quam vocabat suam, non tantùm nunquam se deserturum, sed etiamsi ipse ab illa deseratur, tamen in sua pristina sententia se permanfurum, laudatissimo Attico, virorum optimo, persuasum ibat. Ad Atticum verò scriptæ Ciceronis Epistolæ, judicio virorum doctissimorum, vel ideò maximi faciendæ sunt, quia historia illorum, temporum, quibus imperium orbis terræ commutatum est, & vel everfa vel conversa Respublica Romana, non aliunde melius, quàm ex illis ipsis percipi potest: neq; ingenium Ciceronis unquam se magis quàm in iisdem prodit. Sed nondum hæc omnia fat erant Ciceroni. Ardebat jam bello orbis terrarum, imperijs distributis. Quid ergò ille amplius? Cæsarem tyrannum, monstrum horribilis vigilantia, celeritatis, diligentia vocabat, turpe ducens, cum eo se conjungere, qui incertum esset, Phalarimné an Pisistratum se imitaturus? Verùm mox, & adhuc ante prælium Pharsalicum, mirâ *ἀπορία* torqueri incipiebat, Pompeij abjectionem.

G 2

atq;



atq; negligentiam reprehendens: ut qui dux esset & nihil ageret; qui totus jacéret; cui non animus, non consilium, non copiæ, non diligentia esset: qui ab urbe turpissimè fugisset, timidissimas in oppidis conciones habuisset: qui non solum adversarij, sed etiam suarum copiarum vires ignorasset; à quo nihil sapienter, nihil fortiter actum esset: qui tandem si vinceret, Sullano more exemploq; victurus esset. Nihilominus de Cæsare quoq; sinistrè admodum scribere perseverabat, negans eum Rempublicam regere posse, qui patrimonium suum duos menses gubernare non potuisset; ejusq; regnum vix semestrem fore. Imò quem corruere necesse esset, aut per adversarios, aut ipsum per se; qui quidem sibi esset adversarius unus acerrimus. Utrunq; porrò simul ita depingebat, ut alterum plausus in foedissimâ causâ quærere, alterum offensiones in optimâ; alterum conservatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum diceret: furore & scelere alterum ardere, alterum bellum quidem non injustum, sed tum pium, tum necessarium, suis tamen civibus exitiabile nisi vicerit, cala-

cala.



calamitosum etiam si vicerit, comparare: neutri scopum illum esse, ut beati sint cives, sed utrunq; regnare velle; & quidē genus regni Sullani appetere. Neq; hanc ipsius inconstantiam eo excusare licebit, quod in flamma ista belli civilis, quem fugeret, quidem habuerit, ad quem autem confugeret, non item. Nam non tantum scriptione variabat Tullius, gradu Sapientiæ, ut mollissimè loquar, nullâ laude digno: sed ipso facto quoq; maximè. Cùm enim designatæ jam essent Italiæ regiones, quam quisq; partem tueretur: cùmq; urbem consules atq; optimates reliquissent; Cæsar verò trajecto Rubicone, interim Pisaurum, Anconam, Aretium, aliaq; loca occupasset; Cicero Capuam defendendam sumserat. Exinde Apuliam per literas à Pompejo evocatus, illuc proficiscebatur. Verùm in itinere, iis in locis Cæsarem esse, intelligens, Cales processit, ibiq; constitit; & ut non tantum iter interclusum, sed etiam ipse penè interceptus à Cæsare fuisset, per Leptam ad Pompejum scribit. Ipse verò Formias revertit, donec tandem navim conscendens, ad Pompejum in Græciam se con-



tulit: ubi adventus ejus cæteris quidem, gratus, Catoni verò, teste Plutarcho, admodum displicuit: qui tamen, cùm Pompejus Junior & amici, ob imperij oblato recusationem, proditorem Ciceronẽ appellarent; imò gladios contra illum stringerent; cædi eum eripuit, & sic ex castris iterum ablegavit. Quin ne in ipsis quidem castris, & eorũ statu periculoso (quod tacendũ non est) facetijs dieterijsq; in socios abstinebat, sed heic quoq; in utrãq; partẽ vacillans, & austero quidẽ vultu circumiens, subinde alijs ridendi occasionem intempestivè objiciebat. E multis, quæ Plutarchº refert, unum duntaxat audite. Post acceptam cladẽ Nonio affirmanti, bonã spẽ restare, superesse enim in castris Pompeij aquilas septem: præclare eum dicere respondit Cicero, siquidẽ adversus graculos bellum gereretur. Agnoscitis, credo, Auditores, inconstantia animi, consilij lubricitatem, temeritatẽ facti, ne quid gravius. Agnovit certè Liborius Mimus, quicùm postea in Senatum lectº à Cæsare victore esset, à Cicerone verò non admissus, dicente: admitterem te, nisi angustè sederemº; mox respondit: *atqui tu solebas dua-*

bu



*bus sellis sedere.* Agnovit etiam Tullius<sup>2</sup> ipse, plumâ aut folio facilius moveri foliatus (quod ante C. Marcello & L. Lepido Coss. in eadem causa objecerat) & cum ex castris cum periculo vitæ nominisque infamia, ut audivistis, rediisset, facti sui poenitere se confessus est, in epistola quam prolixam scripsit ad Marium. Sic in alia ad Cæcinam fatetur, se vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victum; & ut in fabulis Amphiaræum, sic se prudentem & scientem, ad pestem ante oculos positam esse profectum. Sed ulterius<sup>2</sup> quo animo fuerit, cum jam Cæsar in acie Pharfalica Pompejum vicisset, iterum non nisi ex proprijs ipsius verbis cognoscite; quod genus convincendi omnium est fortissimum. Certè temeritatis suæ (ita loquitur ipse) poenas maximas gravissimasq; se pendere, Attico suo fatebatur: & quidē, audite, non tam propter malam causam, quam quod suo vitio & culpa periret: quandoquidem imparata & infirma omnia vidisset, tamē contra paratissimos iverit; dolorem sentiens eò graviolem, quò majori culpa laboraret: adeò quidem, ut etiam diem natalem suum, quo literas istas<sup>2</sup>



lacrymis madentes dederat, diris execra-  
 rit; & ut eo susceptus non esset, optarit,  
 plura scribere fletu se prohiberi adjiciens.  
 Cùm verò paulò post, Cæsar & Antonius  
 amicissimè ad eum scripsissent, & quan-  
 doquidem omnia secundissima sibi, ad-  
 versissima verò Pompejanis acciderint,  
 ut fortunæ obsequeretur, ac quid viro bo-  
 no & quieto, & bono civi conveniret, tan-  
 dem faceret, jure amicitiae ab ipso petiis-  
 sent: ille quidem victoriam istam Cæsa-  
 ris, belli finem sibi esse, & qui integri pa-  
 res non fuissent, fractos superiores non  
 fore scribebat. Cæsari tamen non fide-  
 bat, sed exempla literarum istarum ad  
 Atticum mittens, fluctuabat, ringeba-  
 tur, æstuabat; ansam dubitandi arripiens,  
 unde & ubi oportebat minimè. Scripse-  
 rat enim ad eum Cæsar, se consilio ipsius,  
 & gratiâ, & dignitate, & ope rerum omni-  
 um uti velle. Quorum verborum sensum  
 Cicero nimis scrupulosè, primùm apud  
 Atticum; deinde apud Matium nostrum;  
 denique etiam apud Cæsarem ipsum in-  
 quirens, de animo erga Cæsarem alieno,  
 deq; sinistris judicijs suis, quæ verborum  
 isto-



istorum interpretationi miscebat ipse, parum remittebat. Verum audito tandem, Cæsarem Brundisium contendere, ipse quoq; illuc se contulit: primò quidem veritus, in tanta multitudine hominum, hostis & victoris periculum facere. Mox tamen obviam ire statuit: quem Cæsar longè ante alios occurrere sibi videns, ex equo descendit & salutavit, cumq; eo solo colloquens, multa stadia processit, & sic vacillantem erexit, sustinuit, confirmavit. At ne sic quidem Cicero ad eandem amoris atq; fidei constantiam permoveri potuit, sed stylum quidem mutavit, & orationib<sup>9</sup> nonnullis publicis, Cæsarem ad coelum usq; laudibus extulit; mansuetudinem inusitatam, clementiam admirabilem & inauditam, sapientiam incredibilem ac penè divinam, omni laude, prædicatione, literis monumentisq; decorandam ipsi tribuens; tantamq; misericordiam, ut per eam ad ipsos deos accederet: quam nullis laudibus satis efferre, nullis studijs satis prosequi, nullâ benevolentiam satis complecti posset: quo victore orbis terrarum clementissimo, ipsius victoriae conditio visq; devicta esset; &



quo gentium lumine non salvo, reliqui omnes salvi esse non possent: cuius vita ab ipsa aeternitate semper intuenda, ad memoriam seculorum omnium duratura esset. Causam quoque ejus vel ideò meliorem judicandam, quia dii eam adjuverint: & cætera ejus farinae plurima. Quo quidè gradu Sapientiæ suæ illud perfecit, ut non tantùm sui, sed etiam aliorum reconcilia-  
 tione impetrata, Cæsarem quasi in alium hominem transmutarit. Scribit enim Plutarchus, cùm Q. Ligarij causam actur⁹ esset, Cæsarem dixisse: quid obstat, cur Ciceronem aliquandiu orantē non audiamus? nam reum quidem Ligarium, improbū & hostem esse, jam pridem certum est. Ubi verò Cicero orsus dicere, mirificè animos comōvit, & orationem varietate affectuum ac venustate insigni exornavit; perspicuè varios in Cæsaris vultu colores apparuisse; animoq; in varias partes distracto, tandem cùm ad Pharsalici prælij mentionē Orator pervenisset, Cæsarem victum animi perturbationibus, corpore contremuisse, eiq; libellos quosdam excidisse è manibus, atq; sic vi orationis expugnatum, Ligarium absolvisse.

Præ-



Præter laudes istas immodicas, etiam incolumitatem (quod in primis notandum) Cæsari victori ipsemet spondebat: & quidē eò usq; , ut non modò excubias & custodias, sed etiam laterum oppositus corporumq; polliceretur. Sed ô gradū Sapientiæ perversum, Matio nostro non imēritò invisum! Nimirum hoc illud erat temp<sup>9</sup>, quo Cicero ( quod Vellejus scripsit, laudum ipsius aliàs studiosissimus ) in sito amore Pompejanarum partium, Cæsarem laudandum simul & tollendum censebat; cū aliud diceret, aliud intelligi vellet. Verissimè scripsisti hoc, Patercule. Audite enim fidem infidam, & levitatem plus quàm Cretensem. A nece Cæsaris, Idibus Martijs perpetrata, vix gladij interfectorum sanguine calere defierant, cū Cicero tripudians, non tantū scelus approbat, sed quod ipse quoq; epulis istis pulcherrimis ( ita vocat ad Treboniū, ut iterum non nisi proprio ipsius gladio eum feriamus ) nō interfuerit, graviter dolet; & parricidium in Cæsare commissum, divinum in Rempublicam beneficium appellat. In alia epistola ad Dolabellam, cū amorē suum erga M. Brutū, parricidarum

darum



darum principem, ad summum extulisset; tamen Idibus Martijs, inquit, tantum accessisse, ut miraretur, locum fuisse augendi in eo, quod sibi jam pridem cumulatam esse visum fuerit. Ad ipsum Brutum quoque scribens, eum, quod Idibus Martijs, quas interitu Cæsaris memorabiles fecisset, servitutem à civibus repulerit, maximoperè laudat; quandoquidem magna pestis hac nece sit depulsa, magna populi Romani macula deleta, interfecto-ribus verò parta divina gloria. In Philippicâ alterâ factum ait tum præclarum atque divinum, tum expositum ad imitandum; & interfectores eam gloriam esse consecutos, quæ vix cælo capi posse videatur: re quoque pulchrum esse, beneficio gratum, famâ gloriosum, tyrannum occidere. Quin etiam de novo laudabat Pompejum immodicè, virum penè divinum, imperij populi Romani decus ac lumen eum fuisse asserens. Cæsarem verò dementissimi consilij & facti arguebat; & qui hoc habuisset, ut quem planè perditum ære alieno egentemque, ac eundem nequam hominem audacemque cognovisset, hunc in familiaritatem libentissimè

rece-



receperit; quiq; regnans ipso Cinnâ nimis potente, Syllâq; dominante deterior fuerit: qui deniq; muneribus, monumentis, congiarijs, epulis, multitudinem imperitam delinierit, suos præmijs, adversarios clementiæ specie devinxerit. Ita

*Prothea multiplices versutum assumere vultus*

noverat Cicero; non tantum publicis muneribus vacans, animo erga Cæsarem & Pompejum variabilis, sed etiam, cum ob unius dominationem, ocio se dedisset literario, in sententijs de salute Reipublicæ vacillans. Quem enim illius statum sub unius regno, nunc pestiferum putabat; mox aliter sentiens talem fuisse scribit, ut eum unius consilio atq; cura gubernari necesse fuerit. Et tamen Cæsare omnia jura divina & humana pervertisse, propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxisset, principatum, alibi affirmat. Atq; hunc Sapientiæ suæ gradum, semel ascitum, tam arctè sibi copulavit, ut postea eum amplius deponere non potuerit. Cum enim C. Cæsare jam extincto, civitas denuò bello intestino concutere-

tur,



tur, ille verò odium Antonij, lubricitate  
 & astucia sua palàm detecta, indies magis  
 magisq; erga se auxisset; ad extremum,  
 imparem novo adversario tam potenti se  
 animadvertens, in novam Octavij Cæsaris  
 adolescentis amicitiam se insinuabat; M.  
 verò Bruti, tum ipsum amicè dehortan-  
 tis, tum apud Atticum gravissimè ea de re  
 conquerentis, rationes negligebat pror-  
 fus. In qua quidem inconstantia sua tam-  
 diu constans perseveravit, donec tandem  
 etiam ab amico novo, Octavio, nimia An-  
 tonij Lepidijq; contentione desertus, capi-  
 tis proscriptionè ita passus est, ut, Plutar-  
 cho affirmante, & se perditum, & liber-  
 tatem populi à se proditam senserit. Gra-  
 dū igitur Sapientiæ Tullianū turpem, in-  
 felicem, fugiendū: Matij contrà pruden-  
 tiam honestam, felicissimā, omnibus imi-  
 tandam esse, pronunciare quis dubitabit?  
 Equidè dubitarunt; sed cum civitatis suæ  
 detrimento, Massilienses; initio quidem,  
 ut ait Vellei9, cōsilio prudentiores, quàm  
 postea fide meliores. Cū enim legati eo-  
 rum Cæsaris responsionē, benignam ad-  
 modū, domū retulissent, illi in hunc mo-  
 dum Cæsari (ut ipse memorat) ex autori-  
 tate

tate



tate renunciarunt: Intelligere se, divisum esse populum Romanum in partes duas; neq; sui iudicij, neq; suarum esse virium, discernere, utra pars justiorē habeat causam: principes verò esse earum partium, Cn. Pompejum & C. Cæsarem, patronos civitatis. Quare paribus eorum beneficijs, parem se quoq; voluntatem tribuere debere, & neutrum eorum contra alterum juvare, aut urbe aut portibus recipere. Hoc prudentissimo responso cum Cæsar acquievisset (medios enim, teste Suetonio, & neutrius partis, suorum sibi numero futuros dicebat) nihilq; propterea hostile cõtra eos tentasset; illi paulò post occultè Pompeij partib<sup>9</sup> favere, tandēq; Cæsari palàm adversari. Sed ob Græcam hanc fidem, semel iterumq; à Cæsarianis terrâ mariq; victi, & ut Cæsari supplices fierent coacti, in maximas calamitates se suãq; urbē præcipitarunt. Eodē planè modo, quo Pharnaces rex Ponti vaferrimus: qui cum aliquoties erga Cæsarē pacis studia per legationes simulasset, omnia quidē liberaliter pollicit<sup>9</sup>, nunquã tamē stans promissis, sed nunc clam, nunc apertè Cæsari adversus, tandē uno, & ut Flor<sup>9</sup> loquitur, nõ

toto

A



toto prælio, à Cæsare obtritus fuit; more fulminis, quod uno eodemq; momento venit, percussit, abscessit; ita ut ipse Cæsar hostem istū antè victum dixerit quàm visum. Cæterum, ne pro Matio nostro, in illo tantum belli exemplo hæreamus, quod inter Cæsarem fuit & Pompejum, in quo Tullius, & qui eum sunt sequuti, sinisteritatis poenas, ut audivistis, gravissimas dederunt; aliorum quoq; fide ac testimonijs (sed uno tantum atq; altero illustriore, brevitatis rationem habentes) gradum istum sapientiæ, ut parum honestum, parumq; utilem, cane & angue pejus fugiendum demonstrabimus. Refert Flavius Josephus, Judaicæ historiæ, hoc est, omnium gentium præcipuæ scriptor maximè insignis, Alexandrum Magnum, Persarum domitorem divinitus excitatum, cum firmandæ Monarchiæ suæ, multarum jam gentium victor, in Judæam penetrasset, & Hierosolymam contenderet; à Jaddo summo Pontifice auxilium, commeatum, urbisq; deditio- nem per literas petijisse; & cum Pontifex jurejurando, quod Dario præstitisset, se excusaret, respondisse; ostensurum se ad-

ducto



ducto exercitu, cui jusjurandum servare deberet. Postquam verò Pontificem, cum comitatu venerabili, & diverso ab alijs gentibus, obviam prodire vidisset, recordatum visionis olim per quietem sibi oblatae, non tantum urbi gentiq; pepercisse; sed etiam Pontificem adorasse, omniaq; pro Judæis, tam Hierosolymæ, quàm Babilone & in Mediâ degentibus, concessisse: præsertim cognito, se eum esse Græcorum, per quem Deus in libro arcano Danielis (quem Pontifex ipsi ostenderat) Persarum imperium abolere decrevisset. Hunc honorem Judæis habitum intellexerant Samaritæ, Judaicæ gentis desertores; ad quos cum Alexander, rebus Hierosolymæ pro voto Pōtificis populiq; compositis, exercitum duceret, illi Judæos se profiteri statuebant; eo ingenio nati, ut in rebus Judæorū adversis, negarent suos esse cognatos; rebus verò secundis, continuo in communionem illorū insilirent. Sed nihil min⁹ quàm voti compotes, gradus iste Sapientiæ perversus, eos reddidit. Rex enim prævaricatione illorum cognitâ, nunc Judæos se esse affirmantium, nunc negantium; neq; honore Judæis exhibito

H

illos



illos dignatus est, neq; tributorum solutionem, quam petierant, remisit; hominum calliditatem pari versutia, moram ex mora neſtendo, ſemel iterumq; eludens. Cum primis verò gradu iſto Sapien-  
 tiæ ſequiore, ut plurimum Græci excel-  
 luerunt. Et præ cæteris quidem Epirotæ  
 in bello, quod Romani M. Acilio Conſu-  
 le, cum Antiocho rege geſſerunt; de qui-  
 bus memorat Livius, eos primum legatio-  
 ne perplexa in neutram partem liberi aut  
 ſimplicis animi, ad Antiochum uſos: tan-  
 dem, cum rege devicto ad conſulē quoq;  
 Imperatorem legatos miſſent, hoc re-  
 ſponſum tuliffe: ut cauſam ſuam non in  
 caſtris, ſed intra dies nonaginta Senatui  
 probarent. Atq; hoc quidem illos tentaſ-  
 ſe, ſed ideò fruſtra & abſq; effectu, quia  
 conſtiterit, quòd non ſincera fide in ami-  
 citia fuerint; ſed Antiocho militem qui-  
 dem nullum dederint, pecunia tamen  
 eum iuverint. Idem hiftoriæ Romanæ  
 conditor auguſtiſſimus, Rhodios ſcribit,  
 cum in bello contra Perſeum, regem Ma-  
 cedoniæ, palàm Romanorum ſocios ſe  
 jactitarent, pacisq; ſuaſores videri cupe-  
 rent; attamen cum Perſeo occulta conſi-  
 lia



lia inirent : tandem Romanis victoribus eò usq; se submittere coactos, ut non tantùm funesta legatione infelix suum consiliũ stultitiæ, & oratorem legatũ, qui illud superbius protulisset. furoris in Senatu arguere; sed etiam libertatẽ, urbem, pecuniã, bona, conjuges, liberos, suaq; omnia in arbitrio Romanorũ posita fateri, unicũ salutis remediũ habuerint. Quin nec barbari hunc gradũ sapientiæ ignorarunt, aliarum licet sive Romanarum sive Græcarũ scientiarũ nescij. Sic enim rex Adiabendorum, Hyliates vulgò dictus (quem Tacitus Juliatem & Ezatem, Josephus verò, ut Lipsius observavit, rectius Juzatem vocat) Judaicæ licet religionis; tamen Meherdate & Gotarze de regno Parthorum dimicantibus, societatem Meherdatis, à quo etiam Romani stabant, palàm induerat; in Gotarzem verò per occulta & magis fida inclinabat. Tandem verò etiam hunc in periculo constitutũ, eadẽ deferebat levitate, qua jam antè illũ. Non secº ac Theramenes apud Aristophanẽ, qui subinde Reipublicæ forma mutata, quoties labascere partẽ suã animadvertibat, toties inclinabat ad alterã, subito pro Chio induens



duens **Corum**. Sed optandum esset, **Auditores**, gradum istum Sapientiæ **Tullianum**, hoc est, sinistrum & exitiabilem, apud gentiles tantum, aut etiam **Judæos**, vel **Samaritas** cognitum fuisse; apud **Christianos** verò invaluisse nunquam. Haud dubiè **Respublica Christiana** melius haberet; nec toties miserandis bellorum claudibus ulularet. Sed proh dolor! etiam apud illos, qui **CHRISTI** sacramento fidem dederunt, fidei constantia sæpius vacillat. Ut nunc silentio præteream eos, qui in **Eclesia CHRISTI** primas sibi vindicant, & tamen artes istas calliditatum etiam laudi sibi ducunt; quorum exemplis recensendis non dies multi, ne dicam semihorula, sufficerent: illud audite, quod de **Carolo**, duce **Burgundiæ** potentissimo, **Philippus Cominæus**, autor prudentissimus commemorat; qui in bello **Ludovici XI. regis Galliarum**, cum **Eduardo IV. Angliæ rege**, palàm quidem simulabat, se nullam huic opem ferre; idq; edicto cavebat publico: clanculum autem interpositis alijs, quinquaginta millibus aureorum, & classe quatuordecim navium, suppetias ei ferebat. Ast talionis poenam paulò post luit

memora.



memorabilem, dum in bello, quod gessit contra Ludovicum, à comite Sancto Paulino, Connestablio Galliaë, naso suspensus, quem sæpè parti suæ addictum putabat, maximè sibi inimicum deprehendit. Sed & ipse Connestablius, vir licet magni cõsiliij & virtutis, longeq; prudentissimus, gradum tamen istum sapientiaë, ut antea alijs, sic etiam sibi tandem exitiosum, serò nimis est expertus, cùm Lutetiaë Parisiorum capite damnatus fuit, bonaq; ejus publica. Idq; non fortunæ vitio, quod præclarè monet Historicus pietate insignis, sed vindictâ DE I graviter irati. Eundem gradum Sapientiaë observavit idem author integerrimus, in duce quodam Veneto, quem ipsemet ad Rempublicam istam legatus, in causâ Domini sui, Caroli VIII. & Ferdinandi regis Neapolitani, per colloquium separatum deprehendisse se scribit; cum epiphonemate hoc laudatissimo: *meritò nostros homines ejusmodi calliditatis pudere debet, quandoquidem Deus est, qui cogitationes omnes novit, nec illi quicquam potest esse occultum.* De incendio illo belli civilis, ante centū annos in Germania nostra exorto (quod utinam hodieq;



dieq; non flagraret amplius ) graviter notat Thuanus, scriptor fide, dignitate ac eruditione illustris, Status nonnullos de successibus tunc sequutis, cautè magis quàm honestè ominatos, & quòd mediij esse, neutriq; parti adhærere vellent simulantes; easdem pœnas cum alijs, qui vel huic vel illi parti addicti fuerant apertè, publicè dependisse. Sed heic non plus ultrà. Quamvis enim, Auditores, amplissimus dicendi campus magis magisq; se mihi aperiat, ita ut pluribus argumentis & autoritatibus Matij nostri integritatem, contra gradum sapientiæ Tullianum, corroborare abundantius liceret: tamen quia pondere rerum obrui mensentio, ipse me reprimo; & ne auribus vestris abuti videar, contra gradum istum inhonestum ac perniciosum, gradum heic sisto; ad alteram officij mei partem, quam Candidati nostri merito suo expectant, me accingens.

Tibi itaq;, Cl. & consultissime Dn. D. ERASME VNGEP AVR, Decane præmiorumq; distributor spectatissime, amice honorande, quandoquidem viros hosce duos, eruditione ac virtute præstantis.



stantissimos, in medium hodie produxi-  
sti, quibus post exploratā eorū in utroq;  
jure scientiam, iudicio inclytæ facultatis  
vestræ, supremi honores decernantur; lu-  
bens meritoq; gratificatum eo; & præ-  
sentiâ suâ annuentibus Academiae Cura-  
toribus Nobilissimis, potestatem tibi fa-  
cio, Candidatos istos tuos, *Dn. Georgium  
Grossmann Ossitiensem Misnicum, & Dn.  
Wolfgangum - Fridericum Heldium Nori-  
bergensem*, Christophori Heldij p.m. olim  
Icti & Consilarij Reipublicæ nostræ ex-  
cellentissimi meritissimiq; filium, Do-  
ctores utriusq; Juris creandi atq; renunci-  
andi; illisq;, ubi fidem suam jurejurando  
solenni, ad verba Notarij Academici, da-  
re prius non detrectabunt, omnia benefi-  
cia atq; privilegia, quibus Universitas no-  
stra, sacræ Romanæ Cæsareæ Majestatis  
augustissimæ, Ferdinandi II. &c. Domi-  
ni nostri clementissimi, indultu exorna-  
ta gaudet, tribuendi atq; conferendi: hoc  
etiam atq; etiam vovendo comprecans,  
ut illi nominis sui, Candidatorum, sem-  
per memores, hoc est, vita & ingenio can-  
didi, fucatum sapientiæ gradum, exem-  
plo Matij nostri, sedulo abominentur; atq;

H 4

hunc



hunc honorem suum (de quo amanter  
illis gratulamur) DEO & Reipublicæ con-  
secrare perseverent: FIAT.

D I X I.



ORATIO V.

*De lege Solonis, quâ sancitum e-  
rat, ne quis in bello civili medius esset,  
aut partis neutrius.*

Habita XXVIII, Aprilis, M.DC. XXXVI  
cùm HENRICUS RÖDIGER, Doctor Juris,  
& HENRICUS SCHILLING, Medi-  
cinæ Doctor renuncia-  
rentur.

**A**ppium Claudium Sabinum  
exconsulem, refert Dionysius  
Halicarnasseus, quum legem  
Agrariã, contra tribunorum  
plebis postulationem, Senatui dissuadere  
vellet, post multas rationes gravissimas,  
tandem in hæc verba erupisse: *quid opus  
est hos accusare, qui malè nati, malè educati,  
parvam honestatis rationem habent, cùm vi-  
deamus*



deamus majorum instituta ne in nostris quidem manere moribus? Gravitas enim à quibusdam superbia vocitatur, justitia, fatuitas; fortitudo, insania; temperantia & modestia, stoliditas. Contrà, quæ apud priscos illos odiosa erant, hæc efferuntur, & in admiratione sunt hoc corrupto seculo; ignavia scilicet, scurrilitas, malitia, versutia. Atq; hæc, ut idem commemorat paulò post, multas jam Respublicas, quantumvis potentes, funditus evertêre. Præclarè hæc non minùs, quàm liberè dixit Senator prudentiâ eximius. Neq; minore laude ad posteritatis imitationem memoriæ mandavit scriptor Romanarum antiquitatum accuratissimus; qui singulas historiæ utilitates ubiq; colligens, omnia dicta, facta, consilia, ad benè institutæ civitatis formam revocavit; maximè verò ad religionem & Numinis metum: cujus historia si integra extaret, nihil esse arbitrantur viri eruditi, cur Varronis thesauros interiisse quereremur. Præclarè, inquam: quin & ad Christianam sinceritatem convenienter. admodum & concinnè. Nemo enim & odisse & cavere magis debet sinisteritatem istam publicè perniciosam, quàm illi,

H 5

qui



qui genuinam CHRISTI philosophiam sincerè profitentur : neq; quicquam est, quod plus detrimenti afferat Christianorum Religioni, vafricie illâ nonnullorum, qui luporum pellibus involuti, Curios simulant, & Bacchanalia vivunt. Quum enim vitia virtutum nomine palliamus, argutiores ad tuendum mala nostra, quàm ad emendandum diligentiores; actum est de fide, actum est de moribus, actum est de salute. Cum primis verò fucatam istam virtutum faciem videre licet in Rerum publicarum seditionibus intestinis, qualis fuit illa Corcyraeorum prima : quorum disciplinam vitæ, in motu civili omnium sævissimo, adeò perturbatam fuisse scribit Thucydides, ut non tantùm usitatam vocabulorum significationem in rebus, sed ipsam quoq; humanam naturam arbitrato suo immutârint. De cujus erroris magno periculo, L. Annæus Seneca ( à beatissimo Hieronymo, qui eum Divo Paulo, Ethnicorum Apostolo divino, familiarem credit, inter sanctos relatus ) ad Lucilium

um



um suum scripsit : *Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt, temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur, virtutibusq; ita vitia sunt confinia, ut perditis quoq; ac turpibus, recti sit similitudo.* Cùm enim, quod vates ingeniosissimi cecinerunt, virtutes ipsas invertimus, atq; sincerum, cupimus vas<sup>2</sup> incrustare, fallit vitium, specie virtutis & umbrâ. Hoc schemate politico astutiam suam pro scientiâ cum primis vendicârunt illi, qui in causâ Reipublicæ Romanæ omnium gravissimâ, Cæsaris & Pompeij, callidè & inconstanter se gesserunt : & quidem exemplo M. Tullij Ciceronis ; cujus gradum scientiæ finistrum, à C. Matio, viro modestissimo, prudenter notatum fuisse, nuper, ut meministis, **AUDITORES**, peroravimus. Quoniam verò contra sententiam nostram, stare videtur lex illa Solonis famosissima, quæ Athenis axibus ligneis incisa, in bello civili mediam viam prohibuit (ut ex Aristotele refert Gellius) de lege istâ dicere nunc constitui : operam,

datu-



daturus, ne attentionis vestrae, quam spero, etiam hac vice vos poeniteat.

Principio autem ipsum Solonem audite, qui ita sanxit: *Si ob discordiam dissensionemque seditio atque discessio populi in duas partes fieret, et ob eam causam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque, tum qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordiae, non alterutri parti sese adjunxerit sed solitarius separatusque à communi malo civitatis secesserit, is domo, patria, fortunis omnibus careto, exul extorrisque esto.* Admiratus est hanc legem primò Gellius, & de eâ amplectendâ dubitavit: neque immeritò, ut intelligetis postea: cognitâ verò ejus causâ, mox animum mutavit, (sed minus rectè) & legem illam non tantùm maximoperè laudavit; sed etiam autoritate comprobavit Favorini Philosophi, qui eandem sententiâ inter fratres quoque aut amicos dissidentes ita observandam censebat, ut qui in medio sunt utriusque partis benevoli, si in concordia annitenda parum autoritatis, quasi ambigui amici, habeant; tum alteri in alteram partem discedere, ac per id meritum, viam sibi ad utriusque concordiam munire debeant.

Qua



Qua quidem ratione Philosophus sapien-  
tissimus, illorum improbitatem non ma-  
lè notavit, qui duos amicos in foro liti-  
gantes destituunt & relinquunt, eosq; ad-  
vocatis malevolis aut avaris dedunt, qui  
lites animasq; eorum inflamment, aut o-  
dij studio, aut lucri. Verùm idem multò  
magis in caussa belli publica attenden-  
dum esse, non Solonis tantùm lege, sed  
multarum quoq; gentium moribus con-  
stare, non nemini hodie videtur. Ita enim  
in seditione illâ Corcyræorum, cujus  
mentionem jam suprâ fecimus, cùm pars  
Reipublicæ starent cum Atheniensibus,  
qui plebem defendebant contra Optima-  
tes; pars cum Lacedæmonijs, qui Opti-  
mates contra plebem tuebantur: cives  
illi, qui inter utrosq; erant medij, & à par-  
tibus alieni, neutrisq; favebant; tandem  
ab utrâq; factione penitus fuere perdit:  
vel quod illos non adjuvarent; vel pro-  
pter invidiam, quòd ipsi calamitatum es-  
sent immunes. Sic Messenij, teste Poly-  
bio, duabus potentissimis Græciæ genti-  
bus, Arcadibus atq; Lacedæmonijs, fini-  
timi, quum bello inter utrosq; orto, neu-  
tris se vel hostes vel socios ostenderent,  
sed



sed illis belligerantibus, ipsi quieta pace fruerentur; tandem pace inter illos facta, neque Lacedæmoniorum potentia per se pares, neque Arcadum auxilijs amplius adjuti, turpissimæ servituti colla subdere coacti sunt, cum conjugibus liberisque patria dulcissima ejecti. Præter alia plura dignum est memoria, magnum illud exemplum erroris, & quæ eum sequuta est, cladis omnium, maximæ Samnitium; quod Romanæ historiæ princeps, Titus Livius, fusè descripsit, cujus summa hæc est. Decepti à Samnitibus Romani per exploratores, validum exercitum duxerant ad Furculas Caudinas, locum iniquissimum; ubi inter duos saltus clausi milites, nec progredi, nec retrocedere, nec pugnare valentes, nil nisi vel miseram mortem, vel turpem deditioem, & servitutem videbant intolerabilem. In re tam lætâ, cum Pontio, Samnitium Imperatori, consilium non suppeteret, patrem Herennium Pontium senem, consulendum censebat. Is Romanos omnes inde quàm primùm inviolatos dimittendos, atque sic cum populo



pulo potentissimo, per ingens beneficium, perpetuam pacem firmandam respondet. Quum verò hanc sententiam Imperator filius sperneret, patremq; denuò rogaret: hic mutatâ sententiâ priorè, omnes ad unum interficiendos consilium dat, ne tam facilè vires recipere res Romana posset. Sed cùm ne hoc quidem Imperator è re putaret, & ulterius exquireret: quid si mediâ viâ consilium caperetur, ut & dimittantur incolumes, & leges ijs jure belli victis imponantur? pater, *media ista sententia*, inquit, *ea est, quæ neq; amicos parat, neq; inimicos tollit.* At filius neutram patris sententiam acceptans, sed mediam suam sequens, Romanos quidem ad foedissimam pacem coëgit. Mox verò, cum populus Romanus deditioe sponforum fidem liberasset, & pacis istius Caudinæ superbissimæ impatiens, denuò cum exercitu contra Samnites pugnaret, serò nimis & nequicquam utraq; patris consilia laudavit, eaq; inter, se medio lapsus, infelix agnovit. De Achæis quoq; memorat idem Livius, quum Romani bello Punico defuncti (quod per sexdecim annos, velut  
intra



intra viscera Italiae toleraverant) eorum  
 foedus & auxilium contra Philippum Ma-  
 cedoniae regem postularent; hic verò per  
 legatum Cleomedontem, non quidem  
 adjuvari se peteret, sed contentum fore,  
 modò ne interessent armis: initio ani-  
 mos eorū ad res inter se pugnantes quo-  
 dammodo obtorpuisse, tandem vero A-  
 risthænum prætorem Achæorum ita lo-  
 quutum: *Quod Cleomedon modò tanquam  
 mediam & tutissimam vobis viam consilij, ut  
 quiesceretis abstineretisq; armis ostendebat,  
 ea non media, sed nulla via est. Etenim præ-  
 terquam quod aut accipienda, aut aspernan-  
 da vobis Romana societas est, quid aliud  
 quàm nusquam gratiâ stabili, velut qui e-  
 ventum expectaverimus, ut fortune appli-  
 caremus nostra consilia, præda victoris eri-  
 mus? Planè eodem modo, quo post Phi-  
 lippum, Antiochus, & cum eo Ætolo-  
 rum legatus Archidam<sup>9</sup>, eosdem Achæ-  
 os sollicitarunt: non ut secum adversus  
 Romanos arma caperent, sed ut neutri  
 parti sese conjungerent: facillimum atq;  
 tutissimum dicentes, quietem præstare;  
 spectatoresq; belli, fortunarum aliena-  
 rum eventum sine ullo discrimine rerum  
 sua*



suarum operiri posse. Quod quidem cum  
 T. Quintius, consul Romanus prudentis-  
 simus, in concilio Achæorum præsens au-  
 dired : nihil tam vanum est, inquit, ò A-  
 chæi, quàm quod legati isti optimum esse  
 dicunt, non interponi vos bello : imò ni-  
 hil tam alienum rebus vestris est ; quippe  
 sine gratiâ, sine dignitate præmium vi-  
 ctoris eritis. Rationem hujus legis pro-  
 bè intellexit Mithridates, rex potentissi-  
 mus, apud Salustium ; in epistolâ ad re-  
 gem Arfacem ita scribens : *quos ignavia,*  
*aut prava calliditas, ut alienis laboribus tuti*  
*sint, armis abstinet, acerbissimas pœnas sol-*  
*vunt.* Quod idem animadvertens C. Ju-  
 lius Agricola (cujus vitam, omni laude  
 dignissimam, præclare posteritati com-  
 mendavit gener Tacitus) cum Othonem  
 & Vespasianum de Imperio certare de-  
 prehendisset, statim in partes transgres-  
 sus est, inter ancipitia deterrimum esse ju-  
 dicans, media sequi. Cujus sententiæ ve-  
 ritatem idem Historicus longè præstan-  
 tissimus, exemplo comprobat Fabij Va-  
 lentis, adversus Vespasianum & Vitelli-  
 um, nec ausi fatis, nec providentis. Ab an-  
 tiquis ad recentiora si procedere lubet, in-

I

ter



ter alios præcipuè Corfus Donatūs occurrit, vir animi magnitudine clarus; qui tamen in extremam perniciem ideò se præcipitasse putatur, quòd Solonis legem insuper habuisset. Is enim, referente Machiavello, Florentiam patriam intestino tumultu, tam ignibus quàm armis miserè interire videns, cùm solus in tantâ communi clade armis abstinendum censeret, urbe non longè post iterum quietâ, occisus est. Sic Ludovicus XI. rex Galliarum, quamdiu nullius principis aut populi societatibus implicari, sed mediis esse voluit, hostium incursionibus sæpè oppressus scribitur. Postquam verò societatem cum Helvetijs contraxit, nulli deinceps in ejus imperij fines invaserunt. Quin & historia sacra hanc causã quoq; fuisse memorat, cur cives omnes oppidi Laidarū, tam repentino bello à tribu Dan devicti, inq; servitutem redacti fuerint; nimirum, quod nullã cum finitimis amicitiam colere, sed more Sidoniorum securi, rerum duntaxat suarum rationem habere consuevissent. Quid ? quod ipsi quoq; Israëlitæ, belligerandi legibus, ut alijs prærogativis divinis, inclyti, cùm bello

bello



bello fratrum Benjamitarum implicati tenerentur, cognito, Jabenses Gileaditas sequi se noluisse, partâ tandem victoriâ, eos ad internecionem omnes<sup>9</sup> deleverunt. Non ineptè igitur Alphonsus rex Castiliæ ( quod de eo refert Panormitanus<sup>9</sup> ) cùm audisset, Senenses in bello quodam Italico, neutram partem sequutos; deinde verò utramq; factionem agros eorum depopulatam esse; idem illis accidere dixit, quod ijs, qui mediam domus partem incolunt. Hi tales enim, plerunq; fumo infestantur ab inferioribus, à superioribus verò nectare perfunduntur, è quo Vespasianus<sup>9</sup> vectigal exigebat. Imò, quemadmodum illi, qui contagio inficiuntur, antequam venenum prorumpat, gravissimè primò in medullis atq; præcordijs laborant: ita medij isti, etsi apertum bellum non suscipiunt, sentiunt tamen enixè in visceribus utrorumq; factiones; eamq; ob causam sæpè intra se, lento velut igne, consumuntur. Verùm enimverò, quanquam hæc ita se habent, Auditores<sup>9</sup>, & pro lege illâ Solonis<sup>9</sup> haud parùm videntur militare: nequaquam tamen tanti esse de-



bent, ut simpliciter pedibus in sententiã istam Atheniensium ire, vel prioris nostræ pertæsi, Solonis illam legem, severam juxtà atq; noxiam sæpiùs, citra diligentiorum circumspeditionem amplecti debeamus. Quin potius pro certo persuasum nobis sit, eos, qui bellis aliorum periculose susceptis, se non immiscent, sed neutri parti adhærentes, verè medijs esse student, sibi suisq; quàm optimè consulere. Quod non minore plurium exemplorum autoritate simul ac rationum pondere, facile comprobare possem, nisi brevitæ attentione vestra singularis sublevanda mihi esset. Paucis itaq; defungar, & potioribus duntaxat, ad assensum Vestrum obtinendum, insistam. Quum Latio is status esset rerum, ut neq; bellum neq; pacem à Romanis pati possent Latini: quippe ad bellum opes deerant, pacem verò ob agri adempti dolorem aspernabantur; medijs consilijs, inquit Historicus Patavinus, standum videbatur: nimirum, ut oppidis se tenerent; ne laceffitus Romanus causam belli haberet. Prudenter sanè, & non citra magnam rationem; quam ob eventum interdum sequiorem contem-  
nere



nere nefas est. Fidem nobis facere pos-  
 sunt, post alios antiquiores, Lotharingi,  
 Allobroges, & Burgundi; qui omnes li-  
 berâ pace ac tranquillitate floruerunt,  
 quamdiu à bellis finitimorum princi-  
 pum abstinuerunt. È contrario, quàm pri-  
 mùm dux Allobrogum, Hispanis se ad-  
 junxit, imperio ac potestate à Francis exu-  
 tus memoratur. Præsertim verò civita-  
 tum interest quàm maximè, ut pruden-  
 ter se in bellis principum nunquam non  
 gerant; ne partium duces sequutæ, cum  
 suâ ruinâ cumulent alienam. Quiescere  
 enim debent inferiores, neq; intempe-  
 stivè principalium armorum arbitria ca-  
 ptare; utpote quibus ij se debent interpo-  
 nere, qui non parentem coercere pos-  
 sunt: ob cuius neglectum non immeritò  
 vapulat Massilia apud Vellejum Pater-  
 culum. Apud Livium quoq; graviter Pa-  
 pirius, Tarentinos, gentem increpat va-  
 nissimam, quod Samnitibus Romanisq;  
 dimicantibus, minari conjunctionem su-  
 am parti æquiori non dubitarent, & do-  
 mesticis seditionibus discordijsq; suarum  
 rerum impotentes, alijs modum pacis ac  
 belli facere æquum censerent. Post alio-



rum prifcorum errores, documento esse potest etiam Germania noſtra, medium tenere infeliciter neſcia; cujus tragoediae ſuperiori ſeculo coeptæ, & ad noſtra uſq; tempora continuatæ, notiores proh dolor! ſunt, quàm ut in ſcenam produci debeant. Optanda enim potius eſt catastro- phe ſalutaris, quàm ut rerum per totum orbem cognitarum narrationẽ inſtitue- re debeamus, non tædioſam minùs quàm prolixam. Sæpius quoq; in hunc lapidem impegerunt nonnulli Pontifices Romani, qui regibus ac principibus bello inter ſe collis, tantum abeſt, ut medios ſe præſtiterint, & in pace quieti, neutri adhæ- rentes, concordiaẽ remedia adhibuerint; ut potius frigidam ſuffundere, & nunc ab hujus, nunc ab illius partibus ſtare, bel- lumq; ex bello ſerere volupe illis fuerit. Ita Alexander V I. cùm Ludovicum XII. regem Francorum aduerſus Hiſpanos, ſu- os populares, foederis ſpecie iuviſſet, ſerâ pœnitentiâ incendia ſemel cõcepta, quæ ipſe inflammârat, reſtinguere non potu- it. Et Julius II. dicere ſolebat, regibus Hiſpaniæ & Franciaẽ inter ſe concertanti- bus, ideò ſe neglectâ mediâ viâ, cum al-  
tero,







genio plus quàm humano, nil nisi sacramentum defuit Christianorum. Is enim, ut in ejus vitâ memorat Cornelius Nepos, non semel duntaxat, sed, quod omnem admirationem excedit, sapi<sup>9</sup> mediam viam, hoc est, omnium difficillimam, sectari ita gnarus fuit, ut periculo implicatus nunquam, liber semper & incolumis evaserit. Nam primùm cùm videret Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neq; sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet; dissociatis animis civium, cùm alij Sullanis, alij Cinnanis faverent partibus; ipse non tantùm Româ Athenas concessit, sed etiam in Græcia, à Sulla tandem victore ad partes suas tentatus: *noli, oro te, inquit, adversum eos me velle ducere, cum quibus, ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* Idem in bello civili Cæsariano, ut Pompejum conjunctum non offendit, ita quiete sua tantoperè gratus fuit Cæsari, ut ei victor non solùm molestus non fuerit, sed etiam sororis filium ex Pompeij castris concesserit. Atq; in hac virtute sua eximia, tam constans perseveravit Vir, ἀληθῶς ἀγαθὸς

καὶ







mitteret. Nam eos qui se his dedissent, non magis in suâ potestate esse existimabat, quàm qui jaçtarentur maritimis. Imò si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hyeme, mariq; scopuloso servat; cur non singularis ejus existimetur prudentia & laudabilis, qui ex tot tantisq; malis & procellis civilibus, ad incolumitatem pervenire novit? Huic exemplo omnium imitatione dignissimo, sed historia antiquioris, non ingratum erit, Auditores, si aliud illustre itidem, sed memoria recentioris, attexam. Scriptum illud reliquit Thuanus, Gallia lumen & ornamentum splendidissimum, in memorabili historia obsidionis Rupellanae, quæ Anno contigit M. D. LXXIII. ubi Lanovium, virum integritate, prudentia & magnanimitate cum antiquis comparandum, ita medium se gessisse, studiumq; suum utriq; parti tam admirabile præstitisse memorat, ut neq; oppidanis suspectus, neq; apud regios, rem æquâ ratione æstimantes, reprehensibilis extiterit. Quamvis enim personas longè diversas, & fortissimi propugnatoris, & æquissimi pacificatoris, sustineret; neutri tamen.

par-



parti propterea displicebat, neq; sinistra  
suspensione apud partium laborabat fau-  
tores. Nimirum prudenter & modestè  
apud utrosq; , nil nisi quod honestum &  
utile utrisq; videbatur, sincera fide gestie-  
bat procurare. A quo virtutis tramite  
eum dimovere non poterant Pastorum,  
quorundam conciones tribunitiæ, qui de  
privato commodo, quàm de publicâ fide  
magis solliciti, eò usq; ex umbone deto-  
nabant, & in virtutem viri summi assidu-  
is concionibus debacchabantur, ut tan-  
dem ex illorum turba innumera, Placius  
quidam, eum in domum usq; profecu-  
tus, non tantùm perfidum proditorem &  
transfugam summâ petulantia sæpius no-  
minaret, sed ad injuriæ tantæ cumulum,  
etiam os impacta manu pulsaret. Qua in-  
solita insolentia, & antehac vix audita,  
vir magni animi & supra omnem injuri-  
am positus, minimè, ut par fuit, commo-  
tus est, sed summa moderatione hominis  
dementiam, miseratus potius quàm in-  
cusans, cùm nobiles, qui circa eum erant,  
ad injuriam tantam vindicandam accur-  
rerent, eos inhibuit, & comprehensum,  
ceu furiosum, ad uxorem remisit. O stu-  
pendam



pendā hominis integerrimi patientiam, eò majori laude digniorem, quo graviori supplicio Pastoris, nefario zelo perciti, scelestā infania affici merebatur. Memorabile quoq; est, & ad causam nostram non minus facit, quod alio loco de proceribus Rupellanis idem refert Historicus illustris, eos in bello Regis contra Protestantes, ut vocant, An. M. D. LXII. singulari prudentia medios se gessisse; existimantes, quamvis pleriq; ex oppidanis Protestantium doctrinæ addicti essent, rectius tamen ac tutius se facturos, si se civilibus armis non immiscerent, & libertatem regijs edictis concessam, citra tumultum ac cruorem tuerentur. Quod quidē illis ita persuaserat urbis præfectus, Vidus Chabotius Jarnatius, vir prudentia fideq; eximius; parum æstimans, quod alij dexteritatem istam interpretarentur secius, ipsiq; tepiditatem objicerent malè sani; quam ille non tam verè sic dici, quàm malè fingi sciebat. Et certè, Zelotas ejusmodi sinistros, ut iracundiæ fervore calidos admodū, ita pietate Christianā prorsus frigidos esse, experientiā teste constat. At si forsan quæ exempla ista, sive antiqua sive

recen-

rec  
no  
ra  
du  
cu  
ce  
lis  
mi  
int  
or  
de  
ne  
cto  
am  
pe  
m  
Co  
ne  
eti  
en  
ju  
ve  
tro  
pi  
Se  
lic  
ip



recentiora, ad imitationem vel assensum non adeò permovent, is tandem vel illud rationum pondus perpendat velim, quod duces bellorum civilium, bonum publicum simulantes, plerumq; pro sua quisq; certant potentia: vel etiam, quod in bellis civilibus ipsâ quoq; victoriâ nihil est miserius. Hæc enim etiamsi ad meliores interdum venit; tamen eos ipsos ferocios impotentioresq; reddit: adeò quidem, ut licet naturâ tales non sint, tamen necessitate esse cogantur; cum multa victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito, facienda sæpè sint, vel certè permittenda. Quam ob causam non immeritò dixit civilis prudentiæ princeps, Corn. Tacitus, arma civilia neq; parari neq; haberi posse per bonas artes. Ex quo etiam mirum esse non debet, si vir sapiens bonusq; civis (cui omnium dextrè judicantium consensu, nihil magis convenire debet, quàm abesse à civilibus controversijs) initia belli civilis invitus suscipiat, extrema non libenter persequatur. Sed quid multis contra Solonis legem aliorum pugnamus armis? cum illum ipsum legis suæ transgressorem habeamus

mus



mus valdè conspicuum ; adeoq; reum vel  
stante lege illâ puniendum , vel si absol-  
vendum quis contendere velit, legislato-  
rem oportet fateatur malum. Testatur  
enim in ejus vitâ Diogenes Laërtius, eum,  
utur legis istius severioris autorem impe-  
riosum , tamen seditione inter urbanos,  
agrestes ac maritimos exorta, neutrarum  
se fecisse partium. Atqui nihil proficiunt  
leges sine moribus vanæ : & parere de-  
bet legi, quisquis legem sanxerit. Nihil  
enim est turpius legislatori, quàm sua le-  
ge damnari. Quare, ut de C. Licinio Sto-  
lone memorat Plinius, eum, quod legem  
ferens, ne quis agri jugera amplius quàm  
quingenta possideret; postea verò cum  
ipse jugera mille occupasset, sed partem  
dimidiam fraudulenta calliditate filio  
emanciparet, tandem decem millibus  
æris propriâ lege damnatum fuisse : ita  
& Solonem vel lege suâ condemnan-  
dum, vel refigendam eam esse, jure me-  
ritoq; urgemus. At enim Solonis illa in-  
constantia plures quoq; fidei non minus,  
quàm prudentiæ naufragium subire fe-  
cit. Ipsum Ciceronem adeò offendit,  
ut ad Atticum scribere non dubitavit, se

Solo-



Solonis istam legem prorsus negligere; etiam atq; etiam confirmans, melioris civis & viri esse, quovis supplicio affici, quàm belli civilis crudelitati non solùm præesse, verùm etiam interesse; & vel mori satius, quàm esse cum illius ducibus. Quod ut dextrè scripsit eloquentiæ fulmen suspiciendum, ita sinistrè admodum comprobavit factò senator malè cautus; cùm in factione Reipublicæ omnium maxima, errantis fortunæ ludibrio abripi se passus est, animiq; fluctuatione nunc ad hujus, nunc ad illius partes ad capitis usq; periculum inclinavit. Cùm tamen, quod præclarè monet Plutarchus, causæq; nostræ non parùm patrocinator, & patriæ & amicis utilior esse potuisset, si, ut Trebatius & Cæsar ipsi suaserant, neutram partem secutus, ad eventum se accommodasset. Quod quia eo usq; neglexit, ut etiam quam partem palàm laudabat, eam occultè reprehenderet; tandem & sibi vitæ, & illis libertatis discrimen ultimū accersivit. Hoc verò qui faciunt, Auditores, nihil minus quàm medij dici aut haberi merentur. Medios enim laudamus, nō qualis fuit vel jam dictus

Tulli-



Tullius; vel etiam quales Massilienses, aut Pharnaces, aut Samaritæ, aut Rhodij, aut alij: quorum lubricitatem fidei, dum medios se simulabant veri<sup>9</sup> quàm gerebant, ante hac notavim<sup>9</sup> fusè. Neq; etiã (ut istis nunc addamus alios.) qualis fuit Plancus ille apud Paterculũ, qui in bello Antonij contra Brutũ, dubia fide diu, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, nunc adjutor Decij Brutij, mox ejusdem proditor factus est: & tamen etiam partibus Antonianis spem magis ostendit auxiliij, quàm opem tulit. Neq; etiam ut fuerunt Epirotæ, qui auditis per legatos, quæ Philippus de bello Ætolis inferendo decreverat, bellum quidem, ut scribit Polybius, approbarunt; legatis tamen Ætolorum, quòd pacem cum illis servare vellent, subdolè responderunt. Non deniq; etiam ut ijdem Ætoli in bello alio, cum juventutem adversus suos socios, publica tantum autoritate dempta, militare siverunt; ita ut contrariæ sæpè acies, in utraq; parte auxilia habuerint Ætolica. Quo artificij genere, turpissimo juxta atq; infelicissimo, nimirum quantum nunquam non, magna cum  
 -illo I  
 gene-



generis humani injuria, usi sunt Græci,  
 Latini; gentiles, Christiani; prisca, nova:  
 damnosa turpitudine ignorantes, quàm  
 tutum pariter sit ac jucundum, quod Phi-  
 loxenus accommodè dixit, navigare jux-  
 ta terram, & ambulare juxta aquam. Sed  
 illos intelligimus medios, illos defendi-  
 mus, illos prædicamus, qui verè & bona  
 fide medijs, neutri favent, neutri nocent.  
 Et sic vel cum poëtâ,

*Illud quod medium est, atq; inter utrumq;  
 probamus.*

Quisquis igitur motus intestinos evi-  
 tare non valens, rebus suis benè consul-  
 tum cupit, is non legem, sed mores imi-  
 tetur Solonis; & cum T. Pomponio At-  
 tico; cujus virtutem nemo, qui cæperit,  
 mirabitur satis, & qui vel unus, instar pot-  
 est esse omnium; ad neutram factionem  
 accedat, sed medio tutissimum se ire ne-  
 dubitet: id quod arbitror apprimè in vi-  
 ta esse utile. Sed hæc hæctenus.

Nunc, ne vestram expectationem mo-  
 rer diutius, Decani spectatissimi, amici pl.  
 honorandi, ad illud quod ambo petijstis,  
 progredior, & utriq; vestrum lubens me-  
 ritoq; largior, quod desideratis. Tibi qui-  
 dem,

K

dem,



dem, Cl. & consultis. Dn. D. AGRICOLA, ut virum Juris prudentia alijsq; literis optimis haud leviter tinctum, *Dn. Henricum Rödigerum, Longo-Salissâ Thuringum*; cui cum Imperatore nostro illud, quod in cursu virtutum atq; eruditionis medium laudatur, optimum esse placuit; privilegijs & honoribus in utroq; Jure supremis: Tibi verò, Cl. & excellentissime Dn. D. NOESLERE, ut *Dn. Henricum Schillingium Lipsiensem*, artis Medicæ Candidatum eruditissimū; qui illud Galeni vestri: *in omni tuenda sanitatis materiâ, medium potissimū spectandū*, unicè cordi habet; summis honoribus Medicinæ, jurejurando pri<sup>o</sup> præstito, exornetis, amboq; ambos, ut decet, præclaro Doctoris titulo fulgentes, in patriam quemq; suam honoratiore remittatis. Idq; vigore privilegiorum augustissimorum, quibus S. Cæs. Maj. FERDINANDUS II. &c. Dominus noster clementissimus, Academiam nostram beavit; ita calculum ponentibus quoq; Nobilissimis & prudentis. Dn. Scholarchis. Quod quidē ille, qui inter Deum & homines Medius est, mediusq; inter coelum & terram, pro salute generis humani, pependit, Servator

tor



tor mundi unicus & æternus, Deus & homo, CHRISTUS JESUS, ut medium, hoc est, optimum, ita & felix, fortunatum, faustumq; esse velit jubeatq;.

D I X I.



ORATIO VI.

*De valore Medicorum. Ad l. 1.*

*§. 5. C. de com. servo manumiss. § 1, 3.  
in pr. C. Com. de legat.*

Habita in Panegyri Academica Petro-Paulina, XXIX. Junij. M. DC. XXXVI. cum GEORG, LUDOVICUS KIRCHENIUS, Doctor Medicinæ renunciaretur.

**D**E Glauco quodam, Medico, commemorat Plutarchus, eum tam averso erga Philosophiã fuisse animo, ut cum de tuenda bonâ valetudine, Philosophos Moschionem & Zeuxippum disputantes audisset, magnum eos facinus commisisse dixerit, quòd Medicis Philosophica miscere, & artium fines distinctos, temerario ausu

K 2

con-



confundere non erubuerint. Idq; tanta  
 cum austeritate & indignatione, perinde  
 ac si de limitibus Phrygum & Myſorum  
 ſtatuendis, aut de rebus, quod ajunt, A-  
 chillis & Agamemnonis non ſeparandis,  
 actum fuiſſet. Infulſè admodum moro-  
 ſus cenſor de liberalibus arbitrabatur di-  
 ſciplinis, neq; quàm bellè pariter ac ami-  
 cè inter ſe conveniant artium bonarum  
 ſtudia pulcherrima, Sophiſta ſupercilio-  
 ſus intelligebat. Rectiùs longè ſapiunt il-  
 li, qui non tantùm Medicinam & Philo-  
 ſophiam, ut ſorores, ſed diſciplinas libera-  
 les omnes, adeò inter ſe connexas ſtatu-  
 unt, ut veluti orbem quendam honeſta-  
 rum artium & ſcientiarum conſtituant;  
 tantumq; abeſt, ut qui ad hanc illamve a-  
 nimum applicat, illi aliarum fines ingre-  
 di interdictum ſit; aut metuendum, ne  
 obtorto collo in jus trahatur, quaſi ter-  
 mini moti, aut finium regundorum reus;  
 ut potius eleganti illo eruditionis circu-  
 lo, laudabilis Græcorum ἐγκυκλοπαιδεία,  
 cujus latifundia peragrare pulchrum du-  
 cimur, παντὶ, quod dicitur, ῥυθμῶν abſolvi  
 videatur. Quam qui dextrè amat atq; co-  
 lit, laudem meretur gloriamq; eò majo-  
 rem,

rem,



rem, quò rariores omni penè fuerunt seculo, quibus sapientiæ istius omnigenæ divinitati feliciter litare, eamq; penitus penetrare contigit. Hoc iudicio virorum sapientissimorum fretus, nihil verendum mihi esse reor, AUDITORES, si in amplissimo hoc confesso, ubi officij necessitas, pro more Athenæi nostri florentissimi, tacere me non sinit, ad actum hunc, quem Medicorum honori sacrum videtis, oratione me compono, & ex pelago Juris, in campos Medicorum parumper egredior. Ita quidem, ut pro meo in Medicinam, hoc est, artium omnium præstantissimam amore, non nudius tertius demum nato, causam ejus levato agam, velo, eamq; ab aspergine nonnullorum, qui Icti audire volunt, vestro iudicio & assensu vindicem. Quod dum facio, causam, ut intelligetis, omnium optimam, attentione, spero, solitâ benignè prosequi non dedignabimini.

Ne autem vos diu teneam, extat in Codice nostro constitutio Imperatoris Justiniani, ad Julianum præfectum prætorio, in qua homo medicus non tantum inter servos numeratur, sed etiam non pluris,

K 3

quàm







comparari, quis est vel inter tirones juris nostri, qui nesciat? Atq; huic ICtorum functioni, etiam aliorum præstantium autorum calculus, nec non exempla clarissima suffragari videntur. Sic enim apud Tranquillum Augustus, in epistola ad Agrippinam neptem: *mitto, inquit, ex servis meis medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, ut retineret.* Sic Tullius pro rege Dejotaro memorat, Philippum medicum, servum regium, ab adolescente corruptum. Sic Annæus Seneca Domitium medico servo suo imperasse scribit, ut sibi venenum daret; quod cum ille minus noxium temperasset, dominus pœnitentiâ ductus servum manumisit. Quin etiam apud Hebræos, populum DEI peculiararem, servos medicos fuisse, exemplo Josephi, Patriarcharum eminentissimi liquet; quem Moses, historicus divinus, servis suis medicis mandasse scribit, ut Jacobum patrem defunctum condirent aromatibus. Nolo heic recensere, quæ Franciscus Petrarca, Philosophus, Orator & Poëta clarissimus, aliquot libris in medicum quendam scripsit;



odio personæ, erga artis dignitatem iniquus. Nec quæ Thessalus ille furiosus, quem Plinius rabie quadam in omnes ævi medicos perorasse ait. Nec quod Hieronymus Cardanus, vix millesimo quoque anno, unum excellentem & perfectum medicum existere affirmavit; qui tamen superbiæ æstu, se ipse fecit septimum. Neq; tanti est factum illud Heracliti Ephesij, qui, ut est apud Laërtium, ultra cæteros alto animo Medicorum contemptor acerrimus, cum in montibus vitam ducens, & olera ac herbas comedens, aqua tandem intercute laboraret, & in urbem rediisset; medicos per ænigmata contemptim sciscitabatur, an possent ex imbre siccitatem facere? quod cum illi non intelligerent, ipse primùm boum stabulo inclusus, ac fimo bubulo contentus, calore isto humorem noxium exhaurire tentans, cum remedium stultissimum voto non responderet, Solis tandem radijs exsiccari se passus est: dignus qui omnes Medicos contemnens, ab ijs neglectus, hoc mortis genere interiret. Majoris fortè ponderis cuidam videri possent aliorum exempla illustriora; ut

illud



illud Tiberij Imperatoris, quem Cornel. Tacitus refert aduersa valetudine, & Medicorum artes, & eos eludere solitum, qui post tricesimum ætatis annum, ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia, alieni consilij indigerent. Vel illud Alphonsi, Arragoniæ regis sapientissimi, de quo memorat Panormitanus, cùm aliquando capite ægrotasset, & Q. Curtij potius sermonibus, quàm Avicennæ pharmacis convaluisset, illum laudibus cumulatum, hunc verò irrisum ab eo fuisse, & ludibrio habitum. Magno etiam animo Vellejus Blæsus, locuples consularis, teste Plinio juniore, cùm novissima valetudine Medicos quoquo modo spiritum sibi prorogare animadverteret, quousq; inquit, miserum cruciatis? quid invidetis bonam mortem, cui dare vitam non potestis? Quam sectam etiam fovisse videtur Pausanias Lacedæmonius; qui apud Plutarchum à Medico interrogatus, quomodo tam senex factus esset? respondit: quia non sum usus te medico. Ut taceam nunc, quod de Hadriano imperatore refert Dio, eum morientem exclamasse: *multi medici regem sustulerunt:*

K 5

planè



planè ut multitudo ducum perdidit Carriam. Quæ aliaq; hujus farinae, non parum artis Medicorum præstantiæ officere putantur: præsertim, cum medicomastiges quidam, artem omnium saluberrimam, non nisi avaritiæ inventum clamitent; quam non secus è mundo tollere fas sit, ac Poëtas è Republicâ Platonis. Ad quod quidem obtinendum, naturam ipsam, parentem ac rerum artificem divinam, in auxilium vocant; utpote quæ non fecerit cerata, malagmata, emplastra, collyria, antidota, aliaq; id genus officinarum commenta. Sacræ verò, quam laudant, parenti, sola dicunt placuisse remedia parata vulgò, inventu facilia, ac sine impendio, ex quibus vivimus. Postea fraudes hominum & ingeniorum capturas, officinas invenisse, in quibus sua cuiq; homini venalis promittatur vita, statimq; compositiones & misturæ inexplicabiles decantentur. Quin Arabia atq; India (fatendum enim est) in medio æstimantur, ulceriq; parvo medicina à rubro mari imputatur, cum remedia vera quotidie pauperrim<sup>9</sup> quisq; cænet. Quæ sanè causâ fuit, cur M. Cato, censor populi Romani gravissimus, non tan-

tan-



tantum medicinam Græcorum, ambitiosam dixerit, sed etiam artem esse negarit, & urbe, quæ ultra sexcentimum annum Medicis caruerat, eiecerit; ad purgandum hominis corpus, brassicam & crebros vomitus sufficere existimans. Laudantur etiam Arcades, quos Plinius non medicaminibus uti scribit, sed lacte circa ver; quoniam tunc maximè succis herbae turgeant, medicenturq; ubera pascuis. Et ne quis antiqua nimis hæc putet, testatur Nicolaus Clenardus in epistola quadam, quam An. M. D. XLI. cum regis Hispaniarum fratri ab institutione esset, ad Jacobum Latomum scripsit, vitales ibi esse homines, & vitam producere longius: Medicis autem locum esse nullum, ut qui profanici dis habeantur. A quo non dissentiunt illi, qui medicos aliorum periculo dicunt inclytos, & famam novitate aliqua aucupantes, animas nostras negotiari. Nemo enim si male habet, medici male habent, utpote quibus tum optimè est, cum populo est pessimè. Unius quoq; sanitatem plurimorum perniciem redimèntes, experimenta eos per mortes agere vociferantur, à quibus interdum vitæ spes pretio ematur,

tur,



tur, unde mors certissima proficiscitur.  
 Imò Medico tantùm hominem occidisse,  
 impunitatem summam esse, ut qui fabu-  
 lans interficiat, & ægros habeat veluti de-  
 stinatas suæ gloriæ victimas; scelere tam  
 frequenti, quia tam securo. Quam into-  
 lerabilem licentiam haud insulsè per-  
 stringit Baptista Mantuanus:

*Sunt & equestre genus medici, qui tangere  
 venas*

*Nonnunquã illicitas audent, & ponere quædam  
 Non intellectis temeraria nomina morbis.*

*His & si tenebras palpant, est facta potestas  
 Excruciandi ægros, hominesq; impunè ne-  
 candi.*

Et Socrates, oraculi testimonio omnium  
 mortalium sapientissimus, cum aliquan-  
 do audivisset, factum quempiam de picto-  
 re medicum; cautè, inquit, eam artem  
 deseruit, quæ errores suos habet in aper-  
 to; eamq; est complexus, cujus error ter-  
 rà tegitur. Ex qua occidendi licentia, non-  
 nulli Medicos ita extimescunt, indoctos  
 præsertim, ut etiam, cum eos vel per so-  
 mnũ videre illis contigit, statim ex metu  
 mortis, cum morte vitam commutarint.  
 Ut Andragoras ille apud Martialem, qui  
 cum



cùm lotus hilarisq; cænasset, manè verò inventus esset mortuus, causam mortis tam repentinæ hanc vates cecinit:

*Tam subita mortis causam Faustine requiris:  
In somnis medicum viderat Hermocratē.*

Quidni igitur, obganniunt hostes Medicorum tribunitij, inter servos habeantur artifices ejusmodi nocivi; & eorum operæ, si interdum utiles, nunquam tamen liberales, ad paucos istos solidos restringantur? Sed meliora, quæso, ô bone, quisquis es, qui ita de Medicis, salutis humanæ patronis certissimis, sinistrè censes. Neq; illa, quæ interdum homines mali perpetrant, artis bonitati imputa. Irrepere in omnes scientias pravorum hominum vitia; quorum causâ si illas odisse velis, nullam vel sacram vel profanam, vel animi vel corporis, vel liberalem vel ignobilem, retinebis. Neq; Catone illo rigido duriorum te præbe, qui Medicorum licet æmulus severus, rem tamen non tantùm non damnavit, sed observatione Medicinæ, in extremam usq; senectutem, ultra annos octuaginta quinque, & suum & uxoris robur infractum, Pliniij testimonio, conservavit; commentarium sibi



sibi esse dicens, quo filio & servis familia-  
ribus medeatur. Atq; sic ita, quod popu-  
lus Romanus, & cum eo millia gentium,  
diu sine medicis vixerint: non tamen  
sine medicina. Vel si omninò quis  
malè conceptam invidiam, erga artis u-  
tilissimæ innocentiam, deponere nequit,  
saltem sacrosancti Juris nostri autorita-  
tem malitiæ suæ ne prætexat: aut nisi re-  
sipuerit, pœnam, quæ ipsum manet, fen-  
tiet à Nemese, quæ Poëta teste, *vehemens  
est Dea: hanc ledere caveto*. Nullis enim,  
inquit Constantinus, Imperator glorio-  
sissimus, criminationibus implicanda  
sunt remedia, humanis quæ sita corpori-  
bus; neq; divina munera & labores ho-  
minum prosternere par est. Nihil nunc  
dicam, Auditores, de origine artis medi-  
cæ divina, quam Poëtæ Apollini; quia  
pud Ovidium exclamat,

*Inventum Medicina meū est, opifer q̄ per orbē  
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis;*

Sacræ literæ verò rectius Numini ter  
O. M. tribuunt; & quam, ut artem sa-  
cram, humanis ingenijs nequaquam in-  
veniri potuisse, asserit Quintilianus. Cui  
si quis fidem non habendam autumet,  
eum



eum cum Erasmo sapientissimo rogatum  
velim, annon rem ipsam loqui putet, ter-  
ræ fibras penetrare, undiq; totius naturæ  
arcana excutere, ex omnibus herbis, fruti-  
cibus, arboribus, animantibus, gemmis;  
ex ipsis deniq; venenis, efficacia quærere  
remedia; hæc q; omnia tam abditâ rima-  
ri curâ, tot rerum varietates studio per-  
sequi, tot obscuritates assequi ingenio, tot  
difficultates industriâ perficere; & hæc  
omnia ad salutem universi mortalium,  
generis in commune proferre; prorsus  
homine majus, & divinum quiddam ef-  
se? Non allegabo etiam operosè, quod  
in artem istam singulari studio incubue-  
runt tot Imperatores: ut Augustus, A-  
drianus, Titus, Constantinus, Justinus,  
alij. Tot Reges: ut Dionysius Syracu-  
sanus, Masinissa, Ptolomæus Evergetes,  
Mithridates, à quo hodieq; medicamen-  
tum habemus Mithridaticum; Attalus  
(quem Pergami regem, testatur Gale-  
nus, non pauca subtiliter invenisse, pri-  
mumq; in usum vocasse) alijq; complu-  
res inter profanos: inter sanctos verò u-  
nus instar omnium, Hebræorum sapien-  
tissimus, Salomon; cujus libros de medi-  
cina



cina abrogasse dicitur Ezechias, quòd ab-  
 usus perversitate, plus herbarum viribus,  
 quàm Creatori DEO mortales tribuerent.  
 Tot porrò Philosophi, ut Plato, Aristote-  
 les, ( quem Chrysoſtomus medicum &  
 philosophum vocat doctiſſimum ) De-  
 mocritus, Theophrastus, Epimenides,  
 Porphyrius, & horum ſimiles ſexcenti.  
 Tot etiam viri ſancti, ut inter Prophetas,  
 Moſes & Eſaias, teſte eodem Doctore au-  
 reo : inter Apoſtolos duo principes, Pe-  
 trus & Paulus, quorum non tantùm em-  
 plaſtrum ad ſanandas plagas peſtoris, a-  
 liorumq; viſcerum nobiliorum, deſcri-  
 bit Gilbertus Anglicus; ſed etiam potio-  
 nem S. Pauli commendant Medici anti-  
 qui & novi. Inter Evangelicæ verò hiſto-  
 riæ ſcriptores, beatus Lucas, Pauli comes  
 individuus, ὁ ἰατρὸς ὁ ἀγαπητὸς ipſi dictus.  
 Deniq; inter patres Eccleſiæ, Ambroſius;  
 cujus ſyrupo in febrī hodieq; utuntur  
 Mediolanenſes : Hieronymus; cui illud  
 acceptum referunt, è febre curato vi-  
 num bibendum eſſe, ne in hydropem ab-  
 eat : Baſilius, Auguſtinus, alijq;. Quibus  
 antiquis meritò annumeratur ætate qui-  
 ſ, ſed non ingenio minor, Jul. Cæſ.

Scali



Scaliger ὁ θαυμασιώτατος ; qui primūm Aristotelis, deinde Hippocratis & Galeni studiosissimus, brevi eos profectus in Medicina fecisse laudatur, ut etiam summos medicos superarit. At verò Heroas istos, cūm Medicinæ magna animi contentione operam navarint, ex sententia invidorum, servis annumerare, & ut obstetrices, sequiori Juris nostri intellectu, sexaginta aestimare solidis, quid aliud, quæso, esset, quàm cum ratione insanire, & nimium intelligendo nihil intelligere ? Illud potius tacendum non est, quod nihil peccare videntur, qui Medicos non tantūm inter Imperatores, Reges, Philosophos & Sanctos collocant, sed etiam cūm ipsis comparant Angelis divinis. Non ideò, quòd, ut notat Panormitanus, ab Angelo revelatum sit, eum, qui die Februarij XIII. sanguinem minuerit, eo anno febrili intemperie non moriturum : vel, quod nonnulli affirmant, Angelum cuidam Equitio, vitium linguæ phlebotomiâ curasse : sed potius, quia inter Angelos, quos Seraphicos divinæ vocant literæ, Raphaël ille ad medicandum se missum, Tobia cæco affirmavit, Cui Omnipotentis Jovæ ministro,

L

nistro,



nistro, etiam nomen suū est insigne, quod, ut Hebræi alijq; arcanarum rerum studiosi interpretantur, nihil aliud sonat, quàm Medicinam Dei. Sed quid Angelos dico? Illud omni laudis genere est superius, & vel solum ad vindicandam Medicorum dignitatem sufficit, quod ipsa Sapientia Dei Patris æterna, Filius unigenitus, tam in veteri quàm in novo foedere, Medici & nomen & officium non detrectavit; & non tantum autorem artis hujus se professus est, sed etiam hac potissimum commendatione, cum adhuc orbi esset ignotus, sese paulatim in animos atq; affectus hominū insinuavit. De cujus pretio XXX. argenteorum, quo Vates eum, egregiè scilicet, æstimatum dixit; ut & de forma, quā induit, servili, plura heic non addam; ne Rosam, quod dicitur, cum Anemona conferre, aut ultra crepidam judicare videamur: præsertim cum de maiestate rerum divinarū, non nisi paucis dicere cōveniat. Illud verò ex summa illa & singulari prærogativa, quā Numinis benignitate habent Medici, haud absq; ratione nonnulli consequutum arbitrantur, quod credula antiquitas firmiter persuasum habuit; etiam

tiam



tiam mortuos in vitam arte medica revocari posse. Sic enim Æsculapij ope Tyn-  
 daridam, & post eum complures, ab orco  
 in lucem rediisse dicunt. Sic ab Asclepia-  
 de hominem exanimatum, elatum, com-  
 ploratumq; , à rogo domum vivum redu-  
 ctum; quam historiam picturatè refert  
 Apulejus. Sic Xanthus non catulum mo-  
 dò leonis, sed & hominem, quem draco  
 occiderat, vitæ redditū posteris prodidit,  
 herbâ, quam Halyn nominant. Sic alij ex-  
 empla afferunt alia; quæ quanquam fide  
 etiam apud Ethnicos saniores carent, ad-  
 mirationem tamen implent artis, & illud  
 immensum esse fateri cogunt, quod verū  
 esse inter omnes constat; valetudinem,  
 nimirum, divinæ artis beneficio, confer-  
 vari, recuperari, prorogari. Neq; defunt  
 inter Christianos, qui parū referre pu-  
 tant, utrum anima denuò in artus relictos  
 divinitus reponatur, an penitus in corpo-  
 re sepulta, morbiq; victoris oppressa viri-  
 bus, arte curaq; Medici suscitetur atq; eli-  
 ciatur, jamq; migratura retineatur: pe-  
 neq; paria esse volunt, mortuum resti-  
 tuere, & mox moriturum servare. Alia  
 sanè ultra humanam sortem, de Medicis  
 L 2 verissi-



verissimè prædicari, nemo inficias ibit,  
 qui horam mortis eos prædicere memi-  
 nerit: id quod Maximiliano comiti Bu-  
 rensi, Bruxellæ præstitisse Andream Ve-  
 salium, cùm ad eum accederet, refert Hi-  
 storicus fide & prudentia clarus, Joannes  
 Sleidanus. Item, quod vitam naturæ vi-  
 ribus mox finiendam, ad multos usq; an-  
 nos prorogare datum illis est; quod He-  
 rodico cuidam, ætatis suæ Philosopho,  
 qui omnium infirmissimus habebatur,  
 contigisse, eumq; singulari victus ratione  
 à Medico præscriptâ, annum attigisse  
 centesimum, memorat autor problema-  
 tum, quæ vulgò Aristoteli tribuuntur.  
 Memorabile verò cum primis est, quod  
 princeps literarum illustrissimus, Jose-  
 phus Scaliger, ad Franciscum Vertunia-  
 num, de Leonicensi, Medico præstantis-  
 simo, scriptum reliquit; eum ab ipsis cu-  
 nabulis ad trigésimum annum, morbo  
 comitiali adeò tentatum fuisse, ut cùm  
 ad se rediisset, pertæsus vitæ, pænè sibi  
 manus attulerit. Sed post XXX annum,  
 planè eo malo defunctum, omnibus  
 membrorum ac sensuum officijs inte-  
 grum, nulla morbi suspicione, ad XCIV,  
 annum



annum pervenisse, & triduo antequam decederet de vita, operam dedisse lectioni. Felicem sanè senectam, inquit Heros per omnia dijs, quàm hominibus similior, quæ prius portum apprehendit, quàm navigationis incommoda sentiret. Ubi illud quoq; de viro eximio laudatur maximoperè, quod cum summo honore legendi & docendi munus, cumq; summa tranquillitate vitæ cursum obiens, primus Philosophiam & Medicinam junxerit, primusq; docuerit homines, qui sine bonis literis medicinam tractant, esse similes ijs, qui in alieno foro litigant. Nequaquam igitur invideri medicis debet, si divina illorum perhibeatur scientia; quam quidem in Hippocrate hoc nomine veneratus est A. Gellius: vel si appellentur divinissimi; ut sæpius Galenum indigitat Alexander Trallianus: vel si fortunam quoq; in ordinem redigere dicantur, & cum ea faciant sponfionem, ne Medici credantur, si unquam invalidi ullo modo fuerint; ut apud Plinium Asclepiades legatis regis Mithridatis respondit, universum propè humanum genus ad se pertrahere solitus, non alio mo-



do, quàm si coelo emissus advenisset. Multò minus iniquiore quis accipiet animo, cùm audierit, honores vix credibiles Medicis fuisse habitos. Quod quidem videre est ex epistola illa, quam Artaxerxes, Regum maximus, ad Hystam, præfectum Hellesponti, scripsisse dicitur, hunc in modum : *Hippocratis Coi medici, Æsculapio prognati, ad me artis fama pervenit. Da igitur operam, ut aurum illi tribuas, quantum cupit, aliaq; item, quorum indiget, & ad me mitte. Erit enim par honore, summis in Perside viris.* Ex qua honoris sublimitate licet maxima, plus tamen autoritatis Medicorum Phœnix retulit, quòd honorem istum regium, virtute plus quàm regia, contempsit; neq; ad Monarcham terrarum orbis, tantis donis invitatus venit. Summum quoq; honoris fastigium fuit illud, ad quod Augustus Imperator, Tranquillo teste, Antonium Musam, medicum suum evexit: cujus operam cùm ex ancipiti morbo convaluisset, statuam ei juxta signum Æsculapij collocavit; tantò cum majore existimatione, quantò feliciores res Romanæ civitatis, rerum dominæ, tum fluebant. Atq; in tanto sublimitatis gradu cùm

con-



constant Medicorum filij, quos Home-  
 rus, omnis eruditæ Sapientiæ pater, non  
 tantùm ἐπισοιμένους περὶ πάντων, sed etiã πολλῶν  
 ἀνταξίως ἄλλων vocare non dubitavit, me-  
 tuendum, credo, sibi putabunt homines  
 plusquàm humani, ne artē medendi è nu-  
 mero liberaliũ eliminent leguleij, quidã  
 inepti. Illam, inquam, artē, quã Plutarch⁹,  
 Græcorum eruditissim⁹, sic inter eas emi-  
 nere ait, ut politicæ, splendore, jucunditate,  
 nullã sit inferior; & quam Romanus sapi-  
 ens, non inter liberales modò, sed inter li-  
 beralissimas esse affirmat. Vel etiã in ser-  
 vorum serie locari verebuntur homines  
 cordatissimi, qui non tantùm tot Impera-  
 tores, Reges, Philosophos, virosq; Sanctos,  
 artis suæ collegas pariter atq; æstimatores  
 numerant, sed etiã ipsis imperant Impera-  
 toribus; & Angelorũ familiaritate ac con-  
 sortio singulari gaudentes, nullũ nisi De-  
 um, artis suæ dominũ & patronum agno-  
 scunt. Quin & illud intelligitis, Audito-  
 res, non esse, cur ob æstimationem istam  
 sexaginta solidorum, quis vilipendat ar-  
 tem nobilissimam; cùm plura sæpè mil-  
 lia aureorũ, vel ex unius morbi curatione  
 referre solenne illis sit. Ita enim de Erasii-

L 4

strato,



strato, medico celeberrimo, ex Aristote-  
 lis filia genito, testantur uno ore Plutar-  
 chus, Valerius, Appianus, Plinius, alij;  
 eum ex rege Antiocho sanato, centum  
 talentis, hoc est, ut eruditissimus Budæus,  
 ingens literarum decus, de Asse compu-  
 tat, sexaginta millibus aureorum dona-  
 tum fuisse. Et ne quis uni tantum alteri-  
 vé, tam grande mercedis pondus conti-  
 gisse putet, multos præterea medicos re-  
 censet Plinius; & celebriores ex ijs Cassi-  
 os, Calpitanos, Aruntios, Albutios, Ru-  
 brios; quibus singulis ducenta & quinquaginta sestertia, hoc est, sex mille ducenti  
 & quinquaginta aurei, annuâ mercede, a-  
 pud principes fuere. Quintum verò Ster-  
 tinium imputasse principibus, ait idem  
 magnus naturæ mystes, quod sestertijs  
 quingenis annuis contentus esset. Et cum  
 novus morbus ex Asia in Italiam irrepsis-  
 set, quam lichenas appellavere, aliosq;  
 inter proceres, quos malum istud potissi-  
 mùm corripiebat, Manilium quoq; Cor-  
 nutum, ex prætorijs legatum Aquitanicæ  
 provinciæ, invasisset; hunc solum ducen-  
 ta sestertia ad curandum sese elocasse, pro-  
 certo asseverat. Neq; verò hæc tantum  
 fiebant



fiabant in illo tempore; sed etiam ad posteriora usq; sæcula invaluere. Sic enim Ludovicus XI, Galliarum rex, testante Cominæo, Jacobo Cæterio, Medico suo, decem aureorum millia mensuum numeravit stipendium, sic ut intra quintum mensem acciperet ad quinquaginta quatuor millia. Nec id modò, inquit Historicus præstantissimus, verùm etiam Episcopatum Ambianensem ejus nepoti, & munera publica largiebatur ejus propinquis & amicis. Cum quo rariore exemplo, si conferas illud Hieronymi Fracastorij Veronensis, quem Sleidanus scribit, à Pontifice mensuos habuisse aureos sexaginta, quamdiu cum patribus erat Tridenti in concilio primo; exiguum quidem erit, neq; tantopere, ut priora, admirandum: attamen citra illorum comparationem, satis amplum, & quo hodieq; non immerito quis acquiescat, & vel sic sexaginta istos solidos, risu suavissimo, ad quem Pallas Ulysses invitavit, excipiat. Scribit etiam non nemo inter modernos, Medici cujusdam filium in Gallia, ante annos non ita multos, aleæ lusu dilapidasse sexaginta coronatorum millia. Ex quo con-

L 5

i, cere



jicere licebit, salarium patris non infra il-  
 la fuisse, quæ narravimus. Eant igitur,  
 nunc, qui Medicis sexaginta solidis ob-  
 strepere, & famam eorum tam iniquo  
 dente rodere, legum civilium inepta de-  
 torsione, magno conamine audent: :  
 quos χαλιπροσώπεις, erubescere nescien-  
 tes, si Suffeni sibi esse perseverabunt, fœ-  
 num eos esse jubebimus, ambrosiâ verò  
 ut alendi veniant Medici, videre & plo-  
 rare. Major est, scio, Auditores, & sub-  
 limior Medicorum artis præstantia,  
 quàm ut quæstu lucroq; metiri eam li-  
 ceat. Ut enim vita hominis omnem,  
 nummorum æstimationem excedit: ita  
 nec Medico talio rependi potest. Sed  
 quia causam eorum, contra sexaginta so-  
 lidos defendendam, & à servorum con-  
 ditione vindicandam suscepimus, malè  
 prævaricari, & quæ ad æstimationem eo-  
 rum justiore faciunt, dissimulare non  
 decet. Equidem, illam litem heic nolo  
 meam facere, qua disputatur; Medicinè,  
 an Advocati præferri in Republicâ debe-  
 ant? quanquam non ignoro, Ulpianum  
 nostrum, Medicorum causam justiore  
 dixisse, quàm Professorum; & Baldum,  
 quem

quem



quem Doctores nostri numen vocant terre-  
restre, ejusq; responsa pro oraculis ha-  
bent, magis Medicis favendum dixisse,  
propter curã salutis humanæ, quàm Ad-  
vocatis; quã de re alio fortassis tempore  
dicemus. Neq; illud Francisci Duareni,  
Icti præstantissimi, urgebo, qui ex Medi-  
cinã plurimũ commodi atq; ornamenti  
Theologiæ studio accedere dixit; illudq;  
approbavit Galeni, doctrinam anatomi-  
cam aditum esse ad agnitionem Dei. Sed  
illud potius suprã dictis attexam, artem  
Medicorum non tantũ non servilem,  
sed etiam omnium liberalissimarum esse  
præcipuam. Id quod filius ille medicus, a-  
pud Lucianum, hac æquissima ratione  
assertum ivit, quando Patris curata vale-  
tudine, novercæ ægrotanti operam suam  
certis de causis denegans, medendi pru-  
dentiam tanto liberiores esse voluit,  
quanto esset & vitæ conducibilior, &  
apud omnes honoratior: justumq; esse  
probavit, ut res sacra, deorum doctrina,  
virorum eruditorũ cura, tam multis im-  
munitatib<sup>9</sup> ornata, neq; cogatur usquam,  
neq; ferat imperiũ, neq; in servitutem tra-  
hatur legis, neq; timori poenisq; tribuna-  
lium,



lium, neq; patris minis, & indocti hominis iræ, sit obnoxia. Nullum enim est hominum genus, Auditores ( nolimus velimus, fateri cogimur ) nullus civitatis ordo, nullus sexus, nulla ætas, quæ non utilitatem ex Medicina petat. Nam licet reliquis artibus nec semper, nec omnes egeamus; hujus tamen utilitate mortalium omnis constat vita; hæcquæ est fidelis illa parens, quæ contra dolores pro nostra imbecillitate confligit, & ibi nos nititur sublevare, ubi nullæ divitiæ, nulla potest dignitas subvenire: adeò ut non frustra veteres illi Romani, sicuti viribus, ita & sapientia omnium populorum inclytissimi, cum aliquando Græcos Italiâ pellerent, Medicos exceperint. Quorum vestigijs insistens Augustus Cæsar, cum in magna sterilitate omnes peregrinos urbe ejiceret, medicæ artis peritos manere iussit. Quin fac etiam abesse morbos, quod cordatè monuit Erasmus, fac omnes prospera uti valetudine: tamen hanc quæ tuteri licebit, nisi Medicus ciborum salutarium ac noxiorum discrimen, nisi totius vitæ rationem doceat? Quam ob causam publica consuetudine, apud omnes orbis natio.



nationes, receptum novimus, ne princeps usquam gentium agat absq; medicis, etiamsi non ægrotet: nimirum, quia interest subditorum, ne ille sanitatem perdat, in cuius unius salute, tot hominum millia salutem suam radicatam quasi habent. Quemadmodum Plato profitebatur, si Dionysium sanaverit, fore, ut totam Siciliam ad sanitatem redigat. Ex quo porrò etiam illud fieri novimus, ut, quemadmodum Medicinæ apud ægros usus est, ita etiam honos sit apud sanos. Sicut vice versâ, medici optimi habentur illi, qui tamen si morbus ægrotantium mercedem ipsis affert; tamen amicos suos semper rectè valere cupiunt. Verùm, jam diu tacitas quorundam voces audire mihi videor: si hæc ita se habent, cur tam duræ ergo sunt leges vestræ Juris, quæ Medicos servis adglutinare, & artem eorum pretiosissimam, sexaginta duntaxat solidis venum exponere præsumunt? Verba enim sunt clara, & à Triboniano, ut suprâ memoratum, duobus locis iterata, quod nullo modo negare possumus. Quid igitur tandem? manús ne dabimus, & inulta jura nostra ingrati relinquemus?

Nihil



Nihil minus, Auditores. Fateor, ita sonare verba. Sed non patiar diutius vos animi pendere, quasi hæc vel famæ Medicorum nostrorum tantillum derogent; vel ut quisquam legumlatores nostros insciæ aut iniquitatis inde arguat, & hoc nomine quasi in jus vocet. Servis annumerant Jura medicos, & solidis sexaginta taxant, fatemur. At non illos, de quibus nobis hæctenus sermo fuit, & quorum arti, hodiernâ panegyri Universitatis anniversariâ, honorem istum, quem videtis, publicum tribuimus: Sed Medicorum, duntaxat ministros, hoc est, chirurgos, pharmacopolas, & ut Apuleius loquitur, medicificos; aliosq; quorum manus, ceu instrumenta, arti inserviunt: ut sunt, qui medicamenta cõficiunt, vulnera curant, cucurbitas admovent, membra incidunt, & alia, quæ Medicus imperat, perficiunt. Nam & hi manum admoventes, medici vocantur, sive liberi sint, sive servi: quod disertè testatur divinus Plato; quem summæ prudentiæ & autoritatis dixit noster Callistratus. Quo sensu etiam chirurgorum & pharmacopolarum pergulas aut tabernas Plautus appellavit medicinas. I-

mò



mò medicorum nomine antiquis veniebant etiam obstetrices: quod præclare Jacobus Cujacius, Ictorũ Smaragdus, ad receptas Julij Pauli sententias observavit. Ut & illud alibi, Athenienses cavisse, ne quis servus aut foemina artem medicam disceret: quibus tamen chirurgicas & obstetricias præstare operas, non tantum non interdictum, sed etiam injunctum erat. Huic Gallorum lumini adstipulatur magnũ illud Germaniæ nostræ decus, Udalricus Zasius, qui, cum jura servorum mentionem faciunt medicorum, nequaquam de Medicis Doctoribus, quales hodie renunciamus; sed de vilioribus istis manuarijs intelligenda probat. Quid? quod apud Herennium Modestinum, Ictum politicissimũ, qui de excusationibus libros sex Græcè conscripsit, è quibus plurima Tribonianus Pandectis inseruit, medici dicuntur etiam *περιοδευταί*, hoc est, ut rectè interpretatur Ant. Augustinus, Hispano doctissimus, & de elegantiori Jurisprudentia optimè meritis, circumforanei: nempe usu vocabuli latissimo. Neq; enim novum est in Jure nostro, unum idemq; nomen, nonnunquam & de genere simul

( ut



( ut Dialectici loquuntur ) & de specie  
 prædicare ; vel etiam hanc illi opponere :  
 vel nomen generale ad rem certam re-  
 stringere : vel tandem verborum signifi-  
 cationem ( prout incidit ) erudita inter-  
 pretatione nunc extendere, nunc contra-  
 here, & interdum plus dicere, minus sen-  
 tire, vel contrà : quod quidem qui Jura  
 accuratè docent, etiam dupondios suos  
 nescire non sinunt. Et certè, qui vel so-  
 lum titulum Codicis nostri, *de professori-  
 bus & medicis*, adhibuerit, nihil minùs,  
 quàm Medicos illos, quos nos laude pro-  
 sequimur, pro servis in Jure nostro habe-  
 ri, nec cùm tam vili æstimantur pretio,  
 Medicos Doctores intelligi, deprehen-  
 det: ut qui Professoribus literarum, præ-  
 ceptoribus Philosophiæ, Oratoribus, Ma-  
 gistris studiorum, Doctoribus legum, ibi-  
 dem partim æquiparantur, partim præfe-  
 runtur. Simulq; illud cognoscet, quod  
 medicorum nomine veniant etiam Ar-  
 chiatri, hoc est, qui in comitatu principis  
 medendi cura funguntur: vel principum  
 & urbium maximarum provinciales sunt  
 medici, privilegijs gaudentes omnium  
 maximis; qui hodie, teste doctissimo Lu-  
 dovico



dovico Vive, protomedici, hoc est, principes sive primarij medici vocantur ab Hispanis. Atq; hos à medicis servis, in legibus Juris plurimùm differre, non ignoravit etiam Div. Augustinus, cùm in magna illa pestilentia urbis Romæ, qua mulieres gravidæ moriebantur, priusquàm maturos partus ederent, Æsculapium, tanquam Deum fictitium, ridet, quod archiatrum, non obstetricem se professus fuerit. Nolo heic commemorare, quàm eleganter etiam Andreas Tiraquellus, latissimæ doctrinæ Ictus (qui quot liberos genuit, tot scripsisse libros fertur, vel ut alij vocant, bibliothecas) à servorum opprobrio Medicos vindicârit; & ex eo, quod vel servi artem medicam calluere, vel medici interdum, & temporis & hominum injuriâ, servire sunt coacti, non rectè artem ipsam servilem esse demonstrârit; ubi etiam in laudes servorum se effundit latissimè. Nihil etiam nunc dicam de servis poenæ, de quibus multa Icti, & imprimis Petrus Faber, interpretis Juris elegantissimus. Nihil de illis, quos Aristoteles, Philosophorum Aquila, naturâ servos dixit, utut Ictorum filij, o-

M

mnes



mnes homines naturâ liberos esse statu-  
ant: qua de re ante annos XX. Belgarum  
Demosthenes, Cl. HEINSIUS, eruditissi-  
mam epistolam, cùm Lugduni essem Ba-  
tavorum, ad me exaravit: quam seculis  
consecrandam, vir incomparabilis, JA-  
NUS RUTGERSIUS, in varijs suis lectio-  
nibus, ceu monumentum, quod ab o-  
mnibus & ubiq; legatur dignissimum,  
paulò post publicè edi, ipse verò HEIN-  
SIUS, ante novennium, cùm Orationes  
suas longè præstantissimas denuò publi-  
caret, simul imprimi curavit. Quamvis  
enim elegantia istæ suavissimæ, causam  
nostram non parùm exornare possint:  
eas tamen nunc brevitatis studio præter-  
mitto; illudq; addo unicum, rectè à Ti-  
raquello reprehensum esse Bartholomæ-  
um Chassanæum, Ictum aliàs in foro non  
contemnendū, qui archiatrū (quem pri-  
mariam diximus esse medicum) inter-  
pretatus est ostiarium palatij principis,  
Græcæ linguæ ignorantia deceptus.

Ne igitur Te, Decane spectatissime,  
Excellentissime Dn. D. Nöslere, Philo-  
sophiæ ac Medicinæ Professor, Archia-  
terq; eximie, amice omni honore & a-  
more

more



more mihi profequende, cum toto hoc auditorio splendidissimo, ulterius præstolari sinam, sed quod præclare cœpisti, eadem dexteritate absolvere faciam; age, bonis avibus ad id, quod agendum tibi restat, accingere, & Candidatum istum, Medicinæ, virum præstantissimum, *Dn. Georg. Ludovicum Kirchenium, Kittingensem Francum*, Medici quondam clarissimi filium haud degenerem, ubi fidem jurejurando dederit, summis artis vestræ privilegij & honoribus, quibus Augustissimus Imperator, Ferdinandus II. &c. *Dn. noster clementissim⁹*, Universitatem nostram coronavit, feliciter exorna. Ita enim placet Viris Nobilissimis, Curatoribus Academiae prudentissimis: ita meretur virtus Candidati florentissimi: ita judicat Ordo vester honoratissimus. Quod ut Tu quidem peramanter petis, cujus in scrinio pectoris sunt,

*Quæ Coi docet arctasenis, quæ fusa Galeni*

*Pagina, q̄ medic⁹ pharmaca scripsit Arabs:*  
ita ego Tibi promptissima officij ratione annuo, & facultatē, quam desideras, meritò lubentissimeq; concedo. Quod dum ea, qua mereris, promptitudine facio, in



mentem mihi venit Medici illius præstantissimi, Asclaponis Pratenfis, quem Cicero familiaritatis usu, consuetudinis jucunditate, artis & scientiæ præstantia, fidelitatis ac benevolentia testimonio insigni, Sulpitio suo commendavit: quibus virtutum ornamentis Te quoq; , Medicum haud è multis, charum mihi cum primis esse, citra adulationis suspicionem (quo servili vitio, ut scis, intactus sum, vel etiam major) verè affirmo, publicèq; profiteor. Huic verò affectui animi gestientis, actusq; , quem hodie peragimus, celebritati, ut favere dignetur CHRISTUS, non corporis modò perituri, sed animæ quoq; immortalis Medicus omnium supremus & æternus, vehementer etiam atq; etiam opto voveoq; :

*O mea sint nullis irrita vota modis!*

D I X I.



ORA-






## ORATIO VII.

*De artibus Pacis, Et cur tam  
difficile sit firmare Pacem.*

Habita XI. Octobris. M. DC. XXXVI.  
cùm SEBASTIANUS BEER, Do-  
ctor Iuris renunciaretur.

 Uod divinus Plato, omnium  
Philosophorum atq; Orato-  
rum, qui unquam vel scripse-  
runt, vel locuti sunt, princeps  
longè eminentissimus, ad Antisthenem  
prolixius differentem dixit: *Videris igno-  
rare, quòd Orationis modus non est is, qui di-  
cit, sed qui audit; quodq; ad hujus imita-  
tionem, gymnasiarcha aliquando rogatus  
à Carneade, ut modum dicendi præscri-  
beret, appositè respondit: isthuc quod à  
me petis, rectius sumes ab auditoribus: hoc,  
si unquam mihi antehac ex hoc loco ver-  
ba facienti, certè hodierno die, cùm pri-  
mis attendendum esse arbitror. Etenim  
quò insigniore quasi auctario, confessum  
hunc amplissimum, insperato Legato-  
rum*



rum atq; Hospitum Nobilissimorum adventu, sed perquam jucundo, præter solitum exornari video, actumq; hunc nostrum Academicum, nova honoris accessione splendidiorum reddi animadverto; eò majorem operam nos dare par est, ne dum tacere nobis non licet, vel ingrata orationis materiâ aures, moris nostri Academici infuetas, fastidiosè feriamus; vel eos, qui aliò properantes, subsistere tamen heic, & audire nos dignantur, tædiosa sermonis prolixitate impestivè sufflaminemus. Quin & nunc dicturus ego, non tantum ab audientibus modum dicendi mihi sumam, sed etiam, salva Platonis, quem dixi, sapientissimi autoritate ipse quoq; orationis modus hac vice mihi ero; ut qui non tantum præter spem & expectationem, sed etiam contra excusationem meam urgentiorem, in Legatorum numerum, Amplissimi Senatus jussu, nolim velim, nostræ Reipublicæ nomine sum adscitus. Ex quo factum, ut gravissimorum negotiorum curis mihi hoc tempore plurimum distento, vix meditandi spatium, ne dicam elaborandi tempus, suffurari licuerit. Qua quidem  
 necessi.



necessitatis prerogativa, incomptæ orationis culpam apud Vos, Auditores omnium ordinum splendidissimi, quos Judices novi æquissimos, facile, spero, deprecabor. Ut verò dictæ legationis nostræ impedimento, actum hunc Universitatis remorari aliquantisper, præter votum necesse fuit: ita quoq; materiam dicendi, illo ipso impedimento suppeditari nobis contigit. Cùm enim conventus ille Sacratissimæ Cæsareæ Majestatis, & Electorum Imperij Serenissimorum, qui Ratisbonæ nunc celebratur, & ad quem in legatione ista eundem nobis est, totam Germaniam pacis expectatione suspensam teneat; nemòq; hodie sit, etiam inter ipsos Martis pullos, qui sanioris modò præcordij, in tam diutinis bellorum tempestatibus, pacis serenitatem tandem non desideret: de Pace, quam omnes amam⁹, quam omnes poscimus, quam omnes expectamus, pauca nunc præfari visum est. Non quidem laudes ejus & utilitates omnib⁹ notissimas decantando. Neq; rationes conquirendo nemini nō obvias, quib⁹ bello præferenda veniat Pax optima rerū; ut pote cujus necessitas omnib⁹ adeò est cōspicua, utilitas



cunctis tam probè cognita, honestas universis eò usq; accepta, ut etiam pacem inquam amplecti, quàm bellum æquissimum persequi, nonnulli asseverare nihil dubitent. Sed de Pacis quibusdam artibus sermo mihi erit, & quæ causæ sint, cur tam difficile sit, firmare pacem. Idq; bona vestra cum attentione; quam vel ideò promerebor, quod hac vice *ἐν παρόδῳ* dicturus, causas duntaxat potiores digito attingam magis, quàm ut latiori earum deductioni immorando, diutius vos detineam.

Utinam verò, rerum temporumq; consulti, quibus commoda publica curare cordi esse debet, Medicorum fidem atq; industriam, in negotio omnium gravissimo, mentis dexteritate imitentur, & ut hi artis suæ beneficio, in novis morbis exortis, sagaciter mali causas inquirent, quibus deprehensis, non ita magno negotio medentur; quin nec hoc contenti, rationes excogitant, quibus fiat, ne pestis eadem subinde recrudescat: ita & illi, in tantis totiesq; recurrentibus malis publicis, scrutari perseverarent sapientius, quibus ex fontibus hi tumultus subinde in orbem



orbem scateant, & qua ratione vel vitandi sint, vel avertendi civilium bellorum æstus frequentiores: ut & sic incisus radicibus, rectè liceret ac tempestivè istis quoq; mederi malis. Sed plerumq; ita fit, sive ingenij humani imbecillitate, sive pervertitate seculi sinisterioris, ut in rebus levioribus admodum perspicaces, in re longè omnium maxima nimium quantum cæcutiamus. Imò fundus calamitatis nostræ est, quod Pacis artes ignoramus: quas si probè nosse, & dextrè exercere curæ nobis esset, haud dubiè pacis firmandæ difficultates vel effugere, vel superare facilius liceret. Sunt enim ut belli, ita & pacis artes peculiare: & quidem bellicis eò præstantiores, quò melior pax est bello. Ob hanc ipsam verò causam simul quoq; difficiliore: & quia difficiliore, idè etiam rariores cultu. Quemadmodum aliàs quoq; naturâ infirmitatis humanæ fieri deprehendimus, ut tardiora sint remedia quàm mala: quod verum esse, & corporum & ingeniorum simili comprobatur Politicorum Smaragdus, Corn. Tacitus. Nam ut corpora lentè au-gescunt, citò extinguuntur: ita ingenia

M 5 oppres-



opprefferis, ait, facili<sup>9</sup>; quàm revocaveris.  
 Natura enim, quod præclarè inquit Ro-  
 manus sapiens, ad originem rerũ parcè u-  
 titur virib<sup>9</sup>, dispensatq; se incrementis fal-  
 lentibus: at subitò venit ad ruinã toto im-  
 petu. Hinc Varronis illud: nascimur spif-  
 sius quàm emorimur; & cùm vix duo ho-  
 mines, decẽ mensibus edolatũ unum red-  
 dant puerũ, contrã una acies puncto tem-  
 poris immanes facit acervos. Et quemad-  
 modũ momento fit cinis diu sylva; sic ur-  
 bes cõstituit ætas, hora dissolvit. Cuj<sup>9</sup> ora-  
 culi plus quàm Pythij veritatẽ, etiam circa  
 bellorũ mala, pacis artiũ ignari, pernicio-  
 sã, proh dolor! experientiã discimus. Ne-  
 mo enim nescit, facilius longè bellum su-  
 scipi, quàm pacem stabiliri. Neq; necesse  
 est, ut orbis exempla proferam<sup>9</sup>, cùm vel  
 Europa, & in ea, misera nostra Germania;  
 in hac verò tot oppidorũ; imò & urbium;  
 quin & provinciarũ cadavera, plus æquo  
 fidẽ nobis faciant. Remedia verò malorũ,  
 hoc est, artes pacis cùm dicimus, non illas  
 intelligimus, Auditores, quæ liberales &  
 ingenuæ aliàs vocantur; quas pacis tem-  
 pore potissimũ in pretio haberi & flore-  
 re, vulgo constat: sed quas Peripateticorũ  
 Aquila, in Politicis omniũ optimè cõstitu-



it, Sapientiã & Prudentiã civilẽ: è quibus illã otium, hanc verò negotium vocat honestissimũ: quarũ naturam, post alios interpretes plurimos, etiã illi, qui in Academia nostra olim Politices professione sunt defuncti, egregiè observarũt. At enim ab his artibus, quibus pacẽ acquirere licet & cõservare, quàm plurimum differunt artes bellicæ, fortitudo & prudẽtia militaris: adeo quidẽ, ut non tantum rarissimi sint, qui & his & illis polleãt simul; sed etiã plerunq; qui istas callent, illas cõtrã ignorent, & ad earũ usum sint inepti. Quod quidẽ de C. Mario (exemplis enim res fiet clarior) testatur Vellejus Paterculus, cum eũ, quanto bello optimum, tanto pace appellat pessimum. Quomodo Tarquiniũ quoq; Priscũ bello potiozem quàm pace refert L. Annæus Florus, rerum Romanarum scriptor verè floridus. Ita etiam Xiphilinus Albinũ comparans & Severum, illum nobilitate generis & doctrinæ, hunc scientiã rei militaris & peritiã ducendi exercitus prævaluisse scribit. Sic & Childericum Gallorum regem testatur Æmilius, bello clarissimum, pacis artibus minus nobilem. Quin & totæ gentes aut provinciæ, discrimen

men



men illud belli pacisq; artium ostendunt  
 dum aliæ bello gerendo tantum aptæ  
 non nisi inter arma florescere possunt.  
 Quales fuere Spartani, quos Polybius ai  
 imperium Græciæ pugnando consecutos  
 vix duodecim annos in quiete tenere po  
 tuisse. Horum enim Respublica tam diu  
 inconcussa stetit viguitq;, quam diu bel  
 la gessit. Tales Sarmatæ, quorum tantam  
 barbariem esse scribit jam supra laudatus  
 autor floridissimus, ut Pacem etiam non  
 intelligant. Tales Persæ, qui totam Asi  
 am: tales Scythæ, qui totum pænè orbem  
 armis subjugarunt: diu verò ideò retine  
 re non potuerunt, quia uti nesciverunt o  
 tium, hoc est, quia artes pacis ignorarunt.  
 Tales Gothi, Hunni, Rugi, Heruli, Scyri,  
 Longobardi; quorum è bellis duntaxat  
 viventium indomita ferocia, ad ipsum  
 quoq; Romani Imperij umbilicum sæpi  
 us penetravit. Ita Græci quoq; bellis per  
 petuò assueti, cùm foris tandem hostes  
 deessent, domi quærebant, donec intesti  
 nis morbis consumerentur. Ita Romani  
 vicinis armis domitis, in propria sævie  
 bant, viscera, donec suis viribus concide  
 rent. Contrà, alijs paci colendæ aptissi  
 mis,



mis, bellis interesse armisq; operam dare,  
non nisi cum infelicitate datum est. Unus  
nunc instar plurimorum sit Tiberius, <sup>s</sup>  
principum callidissimus, quem Tacitus  
lætiozem fuisse memorat, quòd pacem in  
Germania, Sapientiâ firmasset, quàm si  
bellum confecisset per acies. Ex quo eun-  
dem quoq; nihil æquè anxium habebat,  
quàm ne composita turbarentur. Talis  
commendatur quoq; Belisarius, Justinia-  
ni nostri summus dux militiæ, qui, teste  
Procopio, eum verè optimum belli du-  
cem esse dixit, qui ex diuturno bello, pa-  
cem firmam constituere nosset. Talis  
Constantius Imperator apud Ammia-  
num Marcellinum, qui, cùm Alemanno-  
rum hostium pacem, quam offerebant,  
prudentissima oratione militibus persua-  
sisset, tandem non inertix, sed modestiæ  
& humanitatis esse dixit, pacem non ne-  
gligere. In primis verò hac laude à mul-  
tis annis excelluerunt, hodieq; excellunt  
incomparabiles Veneti, quorum Repub-  
licâ ut nulla est prudentior, nulla ditior,  
nulla diuturnior: ita apud eosdem, quod  
Patricius simul & Historicus insignis,  
Caspar Contarenus memorat, pacis stu-  
dia



dia semper, quàm belli, fuére potiora. Eodem modo nonnullæ ad Venetorum formam effictæ Republicæ in Germania, pacis tempore vel ad invidiam florentes, bellorum studijs insuetis, tantum nõ aratri inductionem patiuntur. Inter illas verò pacis artes, quas ad negotium sive prudentiam civilem à Philosopho referri diximus, haud postrema illa est, quæ tempori cedere, & quò recto cursu pertingere non licet, consiliorum mutata velificatione contendere docet: id quod viri sapientis & civis boni esse, omnes saniores, qui in occipitio oculos habent, profitentur. In quo genere Cato, vir alioqui omni laude absolutus, insigniter ac perniciosè erravit; qui cùm patria in extremum esset adducta discrimen, antiqui moris nimium retinens, ita publicæ salutis operam dedit, quasi fato delatus esset in Rempublicam aliquam Platonis, non autem versaretur in fece Romuli nepotum: quod ad Atticum prudenter notavit M. Tullius. Exinde enim fit, ut multi, magni aliàs viri, tempus & occasionem pacis, faciendæ aspernantes, in extremas tandem, angustias redigantur; serò vel superbiæ  
vel



vel incogitantia poenas, magna cum pernicie salutis publicae, luentes. At hi potius memores esse deberent, illud utramque paginam inter pacis artes facere, quod Orator Demades de Atheniensibus suis, intempestivo belligerandi ardore flagrantibus, dixit: non esse expectandam ultimam necessitatem, ut a trati pacem petant; sed tunc esse tempus opportunum agendi de pace, cum adhuc uterque viribus suis fidit, & pares ambo videntur. Quod ut probe intellexit, ita prudentissime monuit C. Caesar; hac adjuncta ratione: si alteri paulum modo tribuisset fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur: neque fore aequa parte contentum, qui se omnia habiturum confideret. Nimirum experientiam docti sciverunt viri maximi, ut Mars communis & victum saepe erigat, & victorem affligat: adeo ut pacem reduci velle, non minus saepe victori expediat, quam victo sit necesse. At vero & illos, qui favore ridentis fortunae praeponderant, ut pacis tempora non nescire, ita nec condiciones repudiare decet asperius: notabili exemplo Hannonis Carthagenensium prudentissimi,

tissimi,



tissimi, qui teste Livio, cùm Hannibal Romanos ad Cannas ita vicisset, ut ad exitij metam redactum putaretur Romanum imperium; & jam nefas videbatur, ullam pacis mentionem iniicere, magna prudentia hortatus est suos cives, ut etiam in secundis rebus fortuna uti vellent, & de pace potiùs, quàm de bello cogitarent. *Nam si, inquit, prætermittimus hoc tempus, quo magis dare quàm accipere possumus videri pacem, vereor ne hæc quoq; letitia luxuriet nobis, ac vana evadat.* Quod sanè optimum fuisse consilium, Senatus sera demum laudatione fassus est; cùm eò miseriarum postea redactæ sunt res Carthaginiensium, ut quas conditiones antè ferre poterant, eas deinceps suppliciter orando non impetrarint. In hunc eundem lapidem, sive animi elatione, sive ignorantia temporis, turpissimè quoq; impegerunt Brittones, quibus, memorante Buchanano, Historico haud è multis, quum Conanus, vir apprimè nobilis, & opinione prudentiæ inter suos clarus, pacem cum Scotis, hoste crudelissimo, parùm quidem honestam, sed certè necessariam nequicquàm suasisset; & quidem nulla  
 priva.



privati emolumentis spe ( ad quam objectionem removendam, Dei testimonium invocaverat sanctissimè ) illi saluberrimum consilium respuentes, cum bellum paci prætulissent, tandem ad quatuordecim millia, una acie, ita cæsi sunt, ut juventutem militari propè omni amissa, legatos mittere coacti sint, qui nullas condiciones pacis recusarent; quas etiam gravatè multi, necessariò tamen accepere omnes: exemplo, quod ante oculos habeant, dignissimo, qui Magnatù consilijs vel præsunt vel interfunt. Quin & emendam esse nonnunquam pacem, nò tantum ex supputatione belli rationum facilè liquet, sed etiam illorum exemplis convincitur evidentissimè, qui vel intelligentes, pacem emendo, extremas calamitates feliciter averterunt; vel damnosâ hujus artis insciatâ, se suosq; pessunderunt miserrimè, Fidem nobis faciant nunc præ alijs, Jugurtha rex Numidiæ, & Ptolomæus rex Macedonum; potentia magis quam ingenio pares: quorum ille, memorante Floro, peritus, fortius adversus Romanos aurum esse, quàm ferrum, pacem emit: hic verò, cum legatis Gallorum pacem offe-

N

renti-



rentibus, si emere velit, contemptius respondisset; paulò post commisso prælio, ingenti jactura, imperitiæ dicam an superbiæ? pœnas dedit. Multis enim vulneribus, inquit Justinus, faucius fuit captus, & caput ejus amputatum, lanceâ ad terrorem hostium ostensum, paucosq; ex Macedonibus fuga servavit, cæteri aut capti, aut occisi. Memoria nō tantum, sed & laude singulari dignum est ( ut antiquis nova jungamus ) recentius illud Galliarum Regis, Ludovici XIII. exemplum, fere sine exemplo; qui hodieq; sceptra tenens, ante annos XX. post bellum civile diuturnius, pacem etiam ab illis, quos imperio suo subjectos habet, emere non dubitavit: de quo Historiarum scriptor ævo nostro summus ita memorat: *Rex, cui non ignota erat militum impietas, crudelitas & rapacitas, & qui miseros subditos toto penè regno tam indignis modis tractari, & omnibus fortunis privari ægerrimè ferebat, pacem quovis pretio redemerat, & Condæo ac socijs, quacunq; petierant, concesserat; tametsi altum corde dolorem premeret, quod à suis clientibus & vasallis ad eam necessitatem, cum magnâ auctoritatis sue dimi-*

dimi-



diminutione & ærarij jacturâ, adact<sup>9</sup> fuisset: pessimè etiam ipsum habebat, quod Principes rebus secundis elatos, de se quodammodo in mediâ aula & ante oculos suos triumphare, & ad majora audenda se accingere videret. Attendite, quæso: & autoritatis suæ diminutionem, & ærarij jacturam, & principum superbiam, pacis honestati & emolumento longè posthabuit rex sapientissimus, dignus, qui post tot incendia bellorû civilium in regno suo, pace fruatur verâ & perpetuâ. Et quidni postporentur illa omnia, maxima licet, pacis intestinæ commodis planè inæstimabilibus? cùm etiam spes belli fallacissimæ, (ne mala duntaxat inenarrabilia urgeamus) hoc idem suadere videantur vel maximè. Neq; enim ancipiti fortunæ belli confidere, aut in spem majoris victoriæ erigi tutum est, etiam illis, qui vel per multos annos vincere soliti, vel cum ingenti exercitu exiguas & desperantes copias aggredi parati, perpetuos quasi victoriæ triumphos sibi imaginantur, & vel ipsam fortunam belli, nunquam non ancipitem, in ordinem redigere, non publica minus cum pernicie,



quàm licentia intolerabili, audacissimè  
 præsumunt. Nam ut Maccabæos, aliosq;  
 Heroas divinos, silentio nunc prætere-  
 mus, vel hoc evincere possunt Crotoni-  
 enses, quorum centum viginti millia, à  
 quindecim mille Locrensis acie supe-  
 ratos scribit Justinus. Hi enim paucita-  
 tem suam circumspicientes, omissa spe  
 victoriæ, in destinatam mortem conspi-  
 raverant; tantusq; ardor ex desperatione  
 cæperat singulos, ut victores se putarent,  
 si non inulti morerentur. Mori verò dum  
 honestè quærebant, vincebant felicissi-  
 mè: nec alia illis causa fuit victoriæ, quàm  
 quod desperaverant. Vel quod de Q. Ma-  
 cedonico memorat Vellejus, qui, cùm  
 urbem Contrebiam nomine, in Hispania  
 oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinq;  
 cohortes legionarias, eòdem protinus su-  
 bire jussit; facientibusq; omnibus in pro-  
 cinctu testamenta, velut ad certam mor-  
 tem eundum foret, non deterritus pro-  
 posito, perseverantia ducis, quem mori-  
 turum miserat militem, victorem rece-  
 pit. Tantum effecit mistus timori pudor,  
 spesq; desperatione quæsita. Atq; hinc  
 rectè Lycurgum laudat Plutarchus, quod  
 lege



lege sua declarasset, maximè mortiferos  
esse bestiarum morientium morsus; & re-  
bus fractis, ultimas hostium vires esse va-  
lentiores. Sæpè enim hostes imbecilliores

*— per medias acies mediosq; per ignes*

*Invenere viam: — — —*

& in ultimis desperatio non rarò in virtu-  
tem vertit militi, estq;

*Una salus victis, nullam sperare salutem.*

Ut nunc taceam, quòd hostes sæpiùs im-  
pugnati & repugnare coacti, tandem pari-  
ter bellicosi evadere solent. Nam & victos  
eadem fortuna belli artem docet, acuitq;  
ignaviam necessitas. Unde illud in vul-  
giore notum: *Heu! quàm timendus ille,*  
*qui mori tutum putat.* Cæterùm, his pacis  
artibus saluberrimis cùm vehementer  
obstrepant Cares illi, quibus expedit res  
humanas esse perturbatas, & quorum  
messis est è malis publicis, pisciumq; ca-  
ptura in aqua turbida; cavendum est dili-  
genter, ne malè sanis illorum consilijs, au-  
res pateant Superiorum: licet rationes il-  
li habeant speciosas, quibus privati lucri  
caussa imponunt imperitioribus. Cùm e-  
nim in campo Martio duntaxat seges illis  
sit gloriæ & autoritatis, felicitasq; eorum



non nisi damnis alatur Reipublicæ; pacis omnem mentionem, tanquam occursum inauspicatæ avis averfantur. Quod quidem adeò mirum non est, cùm quibus & pessima & immodica est cupiditas, pax placere nunquam possit. Neq; etiam audiendi sunt illi, qui imbecilliores licet, tamen ad pacem firmandam, condiciones nō nisi exquisitissimas admittere volunt: cum potiùs omnibus frustra tentatis, illud tandem spectari deceat, quod fieri licet, & adsequi fas est. Qua de re memorabile est, quod ad regem Galliarum Franciscum I. pacis leges non exoptatas admodum, à Carolo V. Imperatore accipientem, prudentissimè scripsit DESIDERIUS ERASMUS, An. M. D. XXVI. pacis artium inter Christianos, si quisquam, intelligentissimus: cujus verba apprimè huc congruentia audivisse non pigebit. Ita autem ille ad Regem: *quanquam non nullis pax ista severis, ne dicam iniquis conditionibus videtur coisse; tamen confido futurum, ut summus ille rerum humanarum moderator, suis arcanis & inscrutabilibus consilijs, omnia vertat in latum exitum. Novit ille, & solus novit, quid nobis expediat; solus artificio suo*  
*divi.*



divino, & potest & solet hominum inconsulta consilia, in eventus letos ac bonos perducere. Si Christianos Monarchas firma junget concordia, minus audebunt Turcæ; & in ordinem cogentur, qui nunc huic regi, nunc illi, utcunq; commodum fuerit, blandientes, non alia re magis, quàm vestro dissidio potentes sunt. Hac ratione simul & optimis studijs, & Ecclesie jamdudum malis intolerabilibus laboranti, poteritis mederi. Haftenus vir ultra fortem humanam sapiens: qui aliquot annis post, nempe M. D. XXXIII. de alia quoq; pace, quatuor præcipuorum orbis Monarcharum, Caroli V. & Ferdinandi I. cum rege Angliæ Henrico VIII. & Francisco I. rege Galliarum agens, cum ad singulos cordatè scripsisset, verè tandem gloriatus est: se neq; perstringere, quenquam, cum omnib<sup>9</sup> benè velit, neq; blandiri cuiquam, cum à nullo quicquam ambiat. Præterea, & illam artem pacis, ad ejus sanctionem feliciorum, observare plurimùm conducet, quam Philippus Cominæus, de pace scribens Ludovici XI. Galliarum regis, & Caroli ducis Burgundiorum, prudentissimè inculcavit; nimirum de pacificatione agendum



non per homines obscuros, aut humilis conditionis, dubiæq; fidei; sed per viros graves, prudentes, fidos, & autoritate præstantes. Quod quidem eò magis necessarium esse affirmat autor incorruptissimus, quò periculosius est negotia tam ardua tractare, quando pars altera in largitiones propendet, quibus expugnari queat etiam constantioris hominis animus. Quemadmodum autem istæ pacis artes, quæ circa negotium & prudentiam versantur civilem, plerunq; hodie vel insuper habentur, vel etiam nesciuntur: ita non minus peccatur circa illas, quas ad officium sive Sapientiam referri suprâ diximus: è quibus illas nunc duntaxat attingemus, quæ hodie ut plurimum causas Religionis & divini cultus respiciunt. Ex quo tempore enim membra Ecclesiæ, sub uno capite CHRISTO militantia, in tot tantasq; factiones miserè discissa sunt, & vinculum illud pacis & concordia, quo uno ultimoq; DOMINUS cōjungi & agnoscere suos voluit, nexu fuit solutum; immane quantum illi peccant, quorum officij esse debebat, hanc pacis artem omnium, optimè novisse, & Christianos odio plus quàm



quàm Vatiniano inter se dissentientes, placidè reconciliare. At illi contrà, vel Zelo abrepti, ἀλλ' ἔ καὶ ἐπίγνωσιν, vel nefandis factionum studijs dediti, oleum quasi camino addere gaudent simul atq; gloriosum ducunt. Perinde ac si successissent in locum Annæ & Caiphæ, aut Scribarum & Phariseorum; qui dum opinionibus discordantes, suum regnum impiè tuebantur, Evangelij regnum, hoc est, pacis divinæ, conabantur opprimere: & non potius in locum Apostolorum pacificorum, qui concordia studiosissimi, sanguinis etiam jacturâ studebant asserere CHRISTI regnum, pace & charitate potentissimum. At hos si nihil aliud, vel illud saltem ad sententiam saniozem flectere deberet, quod, dum pro Religione arma sumuntur, nullibi in agro, rara in urbibus Religionis vestigia videmus. Horum intolerabilem inscitiam rectè utendi ocio sapiente, ante alios magna pietatis atq; ingenij dexteritate notavit, artemq; pacis omnium præstantissimam, perculluit, GEORGIUS CASSANDER, Theologus cum antiquis comparandus, quin etiam præferendus. Hic enim post

N 5

obi-



obitum Caroli V. à laudatissimis Imperatoribus, Ferdinando I. & Maximiliano II. ab Antonio item rege Navarrae, mediatore Friderico Archiepiscopo & Electore Coloniensi, de modo pacis & concordiae Christianae aliquoties consultus, tandem An. M. D. LXIV. sapientissima media praescripsit; & immortalis nominis sui memoria palam fecit, ad sinceram Ecclesiae pacem, non recta consilia deesse, sed homines, qui ex utrisque affectibus humanis, rectis consilijs obsequantur. Cujus hac de re sinceræ pietatis atque eximiæ prudentiæ, ad gloriosissimos Imperatores scripta consilia, hodieque plures non manibus tantum versare, sed etiam animo perpendere diligentius, haud parum è re communi esset. Non ignoravit quoque hanc artem pacis, quicquid alijs videatur, Div. LUTHERUS, qui, teste Sleidano, non tantum ad Pontificem, sed etiam ad Cæsarem, & ad Ordines Imperij, semel iterumque scribere non dubitavit, se pacis impetrandæ causâ multa; imò omnia facturum esse. Eundem belli furores in Germania, quam diu vixit, pietate & prudentia sufflaminasse, quis est historiarum istius seculi tam rudis,

dis,



dis, qui nesciat? Ex parte verò Cæsareorum, artem nunquam satis laudandam, probè cognitam habuit & amavit GRANVELLANUS, Consiliarius singulari prudentia insignis; quem idem Historicus laudatissimus, ad pacis consilia Cæsarem flexisse refert, & aliorum exinde natas æmulationes atq; odia, magno animo contempsisse. Hujus vestigia, Ordinibus Imperij acceptissima, eâdem nominis celebritate pressit LAZARUS SVENDIUS, Maximiliano II. à consilijs intimis; cujus verba notatu maximè digna ita memorat David Chytræus, in epistola quadam ad Paulum Melissum: *consulo, inquit Lazarus, Heros sapientissimus, meo Domino, ne persuadere sibi patiatur, non posse in Imperio pacem & obedientiam, nisi religionis dissidijs sublatis retineri; ac Turcici Imperatoris exemplum ipsi propono, qui majorem in suo Imperio religionis varietatem, quàm quivis alius Monarcha in toto mundo habet; & tamen pacem ac obedientiam subditorum summam tuetur. Dent modò operam summi principes, ut ordo sit inter Ecclesie ministros, ne cuiq; suo arbitrio vociferari & seditiones movere liceat.* O consilium

lium



lium divinum, nulla laude satis extollendum, omniumq; qui Reipublicæ, & in ea Ecclesijs præfunt, animis probè infigendum! ò artem pacis præstantissimam, quàm probè addiscere, rectè exercere, & incorruptè conservare, omnium, quotquot Christiani audire volunt, plurimum profectò interest. Heroum istorum peritiam pacis artium eximiam illos hodiè imitari optamus, qui, sive Theologi sive Politici, in dignitates illorū successerunt: quod cum fiet, bonum finem bella sortientur, & furorem rabiemq; armorum Pietatis affectus extinguet; felicior erit Europa, & Respublica Christiana læto vultu ærumnas suas delebit. Nunc adhuc collidimur, proh dolor! & ut bella gerantur, religionem proterimus. Martialis' violentia impietate commendatur: ut huc applicemus, quæ Insubricæ Historiæ scriptor clarissimus, Erycius Puteanus, de bello Italiæ per Luitprandum feliciter finito, graviter inculcavit; cum hoc epiphonemate memorabili: *Luitprandus igitur majori gloria reduxit domum exercitum, quàm si de Roma triumphasset: se ipsum vicerat.* Latius heic extendi posset oratio,

tio,



tio, Auditores, nisi patientia Vestra, &  
 Candidati nostri expectatio, aliò nos vo-  
 carent. Quapropter unicam duntaxat, &  
 quidem omnium potissimam pacis ar-  
 tem, adhuc addere lubet; ad quam sæpi-  
 us Christianum populum cohortatus est  
 Salvianus, Episcopus Massiliensis, alter  
 seculi sui Hieremias; cùm de Gothorum  
 & Vandalorum devastatione, in libris de  
 gubernatione Dei, hunc in modum scri-  
 psit: *Ideò fit, ut ipsa Pax contra nos sit, quia*  
*sic agitur à nobis, ne expediat rem accipere,*  
*qua deteriores sumus. Item: Cogimus ad ul-*  
*ciscendas criminum nostrorum immanitates*  
*nolentem Deum, & propè est, ut eum non per-*  
*mittamus ut parcat.* Et iterum: *Nihil mi-*  
*rum est, si deteriora quotidie patimur, qui*  
*quotidie deteriores sumus.* Ad hanc viri san-  
 ctitate atq; sapientiâ inclytissimi vocem  
 gravissimam, genuinam infortunij nostri  
 querelam, si diligentius attenderent illi,  
 qui de statu rerum hodierno arbitrium  
 sibi sumunt, certè non Regum tantum  
 modò attribuerent delirijs, quod ita ple-  
 ctuntur Achivi. Imò non est Principum  
 incogitantia, inquit scriptor Ecclesiasti-  
 cus mellitissimus, Johannes Chryosto-  
 mus,



mus, sed nostra iniustitia, quòd belli mala patimur: pœna est pro nostris sceleribus exacta. Illa cuncta sursum deorsum, miscuerunt, illa quicquid est calamitatum invexerunt, illa armarunt hostes, illa fecerunt, ut victi discederemus: non aliunde nobis malorum examen inundavit, quàm ex hac causa. Atq; hujus culpæ reos cùm nos profiteri nolumus, & vitam nostram emendare recusamus, tale nobis quid accidit, (quo simili usus est Nazianzenus, ad subditos terrore percussos, & Imperatorem irascentem,) quale ijs, qui agonotheten incusant tanquam malum, cùm ipsi in certaminibus sint ignavi: aut Medicum tanquam imperitum, & temerarium incisionibus & adustionibus, cùm ipsimet malè sint affecti, & austerioribus indigeant remedijs. Breviter igitur: bellum nos non deseret, nisi quando nos peccandi consuetudinem. Si quis verò scire satagit, quænam peccata sint potissimùm, quorum causâ Pacis bono; bono, inquam, inæstimabili,

*Quo nihil in toto est usquam pretiosius orbe, sapius' carendum sit etiam illis', qui*

CHRI.



CHRISTI Servatoris merito, prærogativam habent vitæ immortalis; eum vel ad Glossographum Juris Canonici, quantum ad hanc rem, nõ ineptum, ablegabimus; qui ita notavit: *solent, inquit, reddi sex causse, propter quas non est pax inter homines: prima, quia non puniuntur maleficia: secunda, abundantia temporalium: tertia, quia non occupamur in pugna contra demones: quarta, quia non consideramus damna guerra, in qua divitias, corpus & animas perdimus: quinta, quia non consideramus dubium eventum belli: sexta, quia non servamus præcepta DEI, nec decimas solvimus.* Hæc ille. Verum, quoniam ea, quæ ad hanc pacis artem, omnium primam facere videntur, sacrorum Antistitum curis publicis sunt commissa, & quotidie sancta fide nobis ingeruntur; non diutius heic morandi estis, Auditores, sed quia Platonem initio laudatum, aurem mihi velere sentio, modum dicendi non eum esse, qui dicit, sed qui audit: pro benevolentia vestra hætenus mihi præstita, non ingratus, ad alteram officij mei partem progredior, eamq; absolvo brevius.

Tibi



Tibi igitur, Cl. & Consultissime Dn. D. AGRICOLA, &c. autoritate Nobilissimorum Dnn. Scholarcharum potestatem facio, ut vigore privilegiorum Cæsareorum, quibus Augustissimi Imperatoris Ferdinandi II. &c. Domini nostri clementissimi, Liberalitas tanto Imperatore digna, Universitatem nostram motu proprio donavit, Candidato isti præstantissimo & doctissimo, *Dn. Sebastiano Beern Lauffensi-Norico*, summos in utroq; Jure honores concedas, eumq; , ubi prius jusjurandum, verba præeunte Notario Universitatis publico, ut decet, præstiterit, præmijs solennibus exornes atq; amplifices. Quem quidem ille profectuum suorum in scientia Juris fructum longè dulcissimum, eò majoris æstimandum habebit, dignumq; hac prærogativa se reddere in posterum quoq; non intermittet, quò rariore Hospitum atq; Legatorum Amplissimorum testimonio & applausu, dignitatem istam reportare, singulari fato, ipsi contigit. Qui actus Academiae honorificus, ut læto pacis augurio quàm felicissimè eveniat, ad pacis artes nunquam non sincerè excolendas conducat, pacemq;



cemq; postliminio tandem reducere ju-  
 vet, coelestem Numinis favorem, sine quo  
 nec pax, nec ullum aliud bonum morta-  
 libus obvenit, verbis Justi Lipsij, hoc est,  
 succinctis pariter & nervosis, ut in suppli-  
 catione par est, submissè veneramur; qui  
 ita pro pace suspiravit: *Tu vere, Tu ma-  
 gne, Tu une DEUS, Europæ aliquando sa-  
 lutarem pacem, & ejus amantes Principes  
 dato: Vatis simul confessionem grata-  
 mente nostram facientes:*

*Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ  
 Proveniunt; neq; nos mortalis dextera ser-  
 vat.*

*Major agit DEUS atq; opera ad majora  
 remittit.*

D I X I.



O

ORA-





## ORATIO VIII.

*De Conventibus Principum,  
& Germanorum diæti.*

Habita XIII. Febr. M. DC. XXXVII,  
cùm VALENTINUS HEIDERUS, TOBIAS PRÖBST,  
JOH. GABRIEL WURFBAIN, & JOH. CAS-  
PAR UNRATH, Doctores Juris  
renunciarentur.

**S**apientissimus hominum Sō-  
crates, omnium rerum, præter  
quàm Virtutis, vel oblitus vel  
pertæsus, cuncta sese conse-  
quutum esse arbitrabatur, si rationibus  
suis, aut oratione perfecisset, ut homines  
ad veræ laudis & virtutis studium excita-  
rentur. Prudenter sanè atq; præclarè, ut  
omnia, quæ vel dixit, vel egit Philosopho-  
rum incorruptissimus. Intellexit enim  
vir divinus, primusq; quasi virtutum ad  
homines pronubus, nihil præstantius esse,  
neq; ad civium beatitudinem accom-  
modatius, neq; ad salutem Reipublicæ  
conducibilius, quàm si illi, qui parentum  
voto,



voto, ad patriæ honorē atq; emolumen-  
tum destinantur, honestarum rerum, &  
ingenuarum artium amorem, suâ sponte  
primùm imbibant, deinde ope aliorum  
corroborati, magis magisq; ad incremē-  
tum & perfectionem ejus solidiorem per-  
tingere contendant. Quod quidem eò ef-  
ficacius fieri haud absq; ratione putamus,  
quò magis in cursu gloriæ omnium pul-  
cherrimo, animæ ad sublimem illam vir-  
tutis majestatem erectæ, publica suffraga-  
tione confirmantur. Hac fini cùm actus  
nostri Academici, quibus artium alimen-  
ta subministramus, Cæsaris invictissimi  
munificentia, & prudentissimi Senatus  
nostri curâ, instituti sint, non invitus pro-  
fiteor, nullum genus esse officij, quod u-  
surpem lubentius, quàm quum opera no-  
stra præstanda est illis, qui honorum titu-  
los, virtutum atq; eruditionis fructus lon-  
gè dulcissimos, non tam concedi sibi pe-  
runt, quàm jure suo postulant. Nihil e-  
nim ambigo, quin, quotiescunq; virtu-  
tum præmia merentibus publicâ solenni-  
tate persolvimus, alij quoq; idem stadium  
decurrentes, quasi calcar quoddam, ad si-  
mitem certaminis pulcherrimi conten-  
tionem,



tionem, addi sibi sentiant, & ad honestam illam, generiq; humano utilem æmulationem, tacitâ quadam stimulatione concitentur. Cùm verò hæc officij administratio, non nisi Oratiunculæ alicujus præmissione peragenda nobis veniat, de ejusmodi rebus præfari hæctenus libuit, quæ & tempori, & studijs nostris consonarent. Quam consuetudinem nostram, ut Palladiâ hac æde dignam arbitror, ita auribus vestris non ingratham esse, spe bonâ fretus confido. Ut igitur ante quadrimestre, occasione legationis nostræ ad Cōventũ Ratisbonensem, qui pacis expectatione omnium animos suspensos tenebat, de artibus pacis, & cur tam difficile sit firmare pacem, ex hoc loco verba feci: ita nunc de eo dicam, quod cùm Ratisbonæ essem, in Guntheri Ligurino, cujus historiam animi causâ ad manus habebam, de illis Principum conventibus legi, quos Fridericus I. Imperator priscis temporibus, quũ Leopoldus Austriacus & Henricus Saxo, patriæ tranquillitatem cruentis motib<sup>9</sup> infestarent, tum alibi, tum in jam dictâ urbe habuit; de quo ita canit Poëta & Historicus præstantissimus:

*Tem.*



*Tempore mox aliorum revocata potentum*

*Turba Ratisbonam, studio tentavit inani,  
Pace reformatâ, longam compefcere li-  
tem &c.*

Ad quæ verba, ne quid ominis portenderent, cum primùm non nihil attonitus hærerem, in mentem mihi venit illius, quod apud Philippum Cominæum, Gallicæ historiæ scriptorem nobilissimum, de principum conventibus olim me legisse memineram: nimirum abstinendum esse principibus ab ejusmodi congressibus, & præstare, ut vel nunquam, vel non nisi per Legatos conveniant. Quam sententiam à multis hodie commendatam, quatenus amplecti nobis fas sit, paucis aperiam. Vos, Auditores omnium ordinum splendidissimi, pro judicij vestri dexteritate æstimabitis.

Ita autem est, Auditores, & nisi frontem perfricare velimus, inficias ire non possumus, quin plurima exempla testatum faciant, principum conventus plurimos, sinistrè admodum successisse. Neq; etiam rationes defunt, quæ illos ad colloca-



tiones congregari, haud frustra dissuadeant. Cominæus ille prudentissimus, cujus sententiam trutinandam sumpsimus, multo rerum usu se istud compertum habere affirmat. Sic enim, ipso teste oculato, Ludovicus XI. rex Galliarum, non tantum cum Carolo duce Burgundiæ aliquoties, & citra effectum, & non absq; periculo convénit; sed etiam Henrici regis Castiliæ, & reginæ Arragoniæ conventui, infeliciter se adjunxit. Istis enim inter se litigantibus, tantum abest, ut rex prædictus arbiter datus, finem controversiæ imposuerit, ut potius bellum sedecim annorū ex conventu isto ortum fuerit. Henricum præterea, ait, ob deformitatem & cultum corporis invenustum, à Gallis fuisse derisum; Ludovicum verò, quod brevibus utebatur vestimentis, & admodum neglectis, ab Hispanis habitum ludibrio. Sic cum Fridericus Cæsar cum eodem Carolo, in urbe Trevirorum, de varijs rebus, easq; inter de matrimonio, quod postea contraxerunt ipsorum liberi, per aliquot dies collocut<sup>9</sup> esset, sequuta mox est (eodem memorante) tanta animorum alienatio, ut Germanis luxum in Carolo, nimiamq;



miamq; ostentationem vituperantibus; Gallis contra Friderici tenuitatem, comitatum exiguum, & ornatum negligentiorum despicientibus; Cæsar tandem non solum infalutato Carolo discesserit, sed etiam cum ille paulò post, Novesium obsideret, maximam Germanorum manum adversus eum adduxerit. Eundem planè effectum habuit congressus Caroli, cum comite Palatino Rheni, Bruxellæ; ubi Burgundiones ideò potissimum Germanos, sordidiores in rebus omnibus dicebant, quod ocreas conjicerent in lectos cubiculares, splendide magnificeq; paratos; & ex eo levius multò de Germanis judicabant quàm antè: cum hi è contrario, immodicum illorum luxum, vel hac incivilitate morum ulciscerentur. Vidisse se ait idem, cum Austriæ dux Sigismundus, ad Carolum supra memoratum venisset, quòd ditionem Pfirtensem (quam Burgundiæ superiori propinquam, ab Helvetijs defendere nō poterat) pro centum millibus aureorum ipsi oppignerarit; reconciliatus verò Helvetijs, iterum ademerit, neq; pretium reddiderit. Non latiore exitu fuit conventus ejusdem Lu-



doyci XI. & Angliæ regis Eduardi, pro-  
 pè Picennium oppidum, non procul ab  
 Ambianis; ubi coràm se spectasse scribit  
 noster, quòd multa utrinq; fuerint pro-  
 missa, sed magnâ ex parte violata. Et  
 cùm Eduardus cum Carolo quoq;, foro-  
 rio suo, apud Atrebates convenisset; pro-  
 pensio in factiones non tantum non ces-  
 savit, sed odium insuper illorum succe-  
 vit vehementius. Sic de Richardo An-  
 glo, & Philippo Augusto Gallo, regibus  
 potentissimis, refert Paulus Æmilius, ex  
 eorum conventu, qui sedare iras debuis-  
 set, simultates utrinq; renatas, alti<sup>9</sup> quàm  
 antè animis insedisse. Cum primis verò  
 memorabile est, quod de Friderico Im-  
 peratore, & Wenceslao Ottocaro rege  
 Bohemiæ, qui Bambergæ convenerant,  
 prodidit in Historia Bohemiæ Johannes  
 Dubravius, scriptor non contemnendus;  
 nimirum ambos adeò in conventu isto  
 erga se invicem exarsisse, ut post multas  
 minas, rex à Cæsare manibus retrusus, ille  
 dextram hujus manu sua læva arripuerit,  
 alteraq; gladium stringens, promptè jura-  
 rit, se illum in corpore Cæsaris demersu-  
 rum, si non sospes, omnibus suis fortunis  
 salvis,



salvis, dimitteretur. Ad quem casum prudenter monet Historicus, minus ferire, quod longiori distat spatio; at vicini pecoris mala contagia sæpius lædere. Notavit etiam Georg. Fabricius in Chronico Misnensi, de fratribus Friderico & Wilhelmo ducibus Saxoniae, eos de regionum & ditionum suarum divisione, plures habuisse conventus; verum omnes non tantum inanes, sed quos etiam major animorum distractio secuta sit per plures annos. Idem porrò fatum videtur conventuum illorum, quos nonnulli diætas, alij comitia vocant: de quibus commodulè dicere liceat, quod Cicero olim, de comitijs populi Romani graviter peroravit: nempe, nullum fretum, nullum Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere agitationes fluctuum, quantas perturbationes & quantos æstus habet ratio comitiorum. Ubi dies intermissus unus, aut nox interposita, sæpè perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat, aura rumoris. Imò nihil fallacius esse totâ ratione comitiorum: id quod multis exemplis maximè conspicuis, illu-



illustrat pro Murena Oratorum princeps inimitabilis. Sed optandum esset, Auditores, ut Ciceronis tantum tempore, exempla ejusmodi diætarum sive comitorum nota fuissent, & à Romanis non ad Germanos quoq; penetrassent. Nunc vero quis est Imperij Romano-Germanici status tam nescius, ut querelas istas publicas ignoret, quibus comitia Germanorum, non nisi consiliorum scissuræ & factiones, imò communium consiliorum mera effugia, perhibentur, quæ tamen sarcindæ publicæ paci, & communi patriæ bono stabiliendo augendoq; sacra esse conveniebat? Quis nescit ibi certamina de subselliorum jure plerunq; ultra modum gliscere? Quis ignorat, honorum præjudicia in concertationis aleam tam acriter sæpius vocata, ut perniciosissima inde suspicionum, simultatum, contemptus & rixarum semina repullularint? & quidẽ eousq;, ut quemadmodum aliquando in conventu Boloniensi, inter Anglos & Hispanos, ita etiam in diætiis Germanorum, quæstio de prærogativâ sessionum, sæpè & prima fuerit, & ultima, inq; ea tractationes ut inceptæ, ita etiam finitæ. Ex quo factum,

ut



ut magnus ille Poloniæ Cancellarius, scomma istud usurpârit, Germanos in suis Comitijs ferè nihil aliud agere, quàm ut sessionibus inter se digladiantur. Accedit, quod in uno conventu, causæ ad deliberandũ propositæ, rarò vel nunquam expediuntur omnes, sed plerumq; in nova comitia reiiciuntur. Quod Æneas Sylvius falso dicterio notavit, cùm omnes Germanorum diætas, adeò foecundas esse dixit, ut quælibet in ventre haberet alteram; & credere se, quia diæta nomen sit foemineum, libenter eas imprægnari ac parturire. Idem ille, cùm conventus aliquando Noribergæ habitus, non diæta, sed concilium vocaretur, falsè iterum: Concilium, inquit, isthoc sublatum est, quia erat neutrius generis, quod non poterat concipere; & ad diætas reventum, prolificantes. Exempla si quæramus, uno protelo plura recenset Historicus & Poëta supra laudatus Güntherus, ubi post diætam Herbipolensem aliasq; , etiam Wormatiensem, Ratisbonensem & Spirensensem, quarũ una alteram pepererat, omnes tandem nequicquam institutas, & laborem ubiq; frustra insumentum memorat.

Quin



Quin ipse Carolus V. Imperator longè  
 prudentissimus, conventus Germano-  
 rum viperis facetè assimilavit, quæ ut  
 matres suas tollunt, ita posteriora, inquit,  
 illorum decreta, priora. Silentio nunc  
 prætereo, quæ de inveterata sufflamina-  
 tione negotiorum, vulgata nimis sunt,  
 qua fieri solet, ut non tantum cunctatio-  
 ne conveniendi dies plures absumantur  
 ( quod quidem ex libertate vitium, Tacit-  
 us in majoribus nostris existimavit ) sed  
 etiam tempus subinde consilijs labi pati-  
 antur consultatores intempestivi; nec  
 fata Sagunti ante oculos habeant, ab ho-  
 stibus prius manu capti, quàm delibera-  
 tione absoluta. Quo nomine vapulatus  
 etiam rex ille Macedonum; à quo cum  
 Agesilaus cum exercitu, transitus liber-  
 tatem peteret; ille verò responderet,  
 se consultaturum; Agesilaus moræ impa-  
 tiens: consultet ille, inquit, nos tamen  
 interim iter faciemus. Exprobravit  
 hoc argutè Germanis nostris aliquando,  
 in diata ipsa, Raymundus Cardinalis  
 Gurcensis, in oratione, quam habuit ad  
 Ordines Noribergæ congregatos, anno  
 supra millesimum quingentesimo pri-  
 mo,



mo, ubi inter alia: *Indicuntur, inquit,*  
*frequentes conventus, jamq̄, alienigenæ in-*  
*videntes gloriæ ac magnitudini vestræ, inter*  
*se jocantes hujusmodi sermones usurpant:*  
*quid faciunt Germani? sunt in dieta: quid*  
*statuunt de Germanicis rebus? distule-*  
*runt in aliam dietam. Bone D.E.U.S, quid*  
*sibi volunt tot dieta, nisi quod vulgò fer-*  
*tur, ut una dieta alteram pariat? sed*  
*dum Vos dietis tempus teritis, crudelissi-*  
*mus inimicus invalescit. Quod si vim*  
*pecuniarum (sunt iterum verba Cardi-*  
*nalis) quam à decem annis in celebrandis*  
*dietis consumsistis, in armando contra*  
*Turcos exercitu exposuissetis, jam ille neq̄*  
*de Italia, neq̄ de Germania cogitaret, sed*  
*relictâ Europâ, secum benè agi putaret, si*  
*ea, quæ tenet ultra Bosphorum, posside-*  
*ret. Ut verò hanc Cardinalis, hominis*  
*peregrini, licentiam, summi pontificis*  
*reverentiâ, tunc audire necesse fuit in*  
*meditullio Germaniæ: ita aliquot an-*  
*nis post, Evangelij veritate lucidius in-*  
*clarescente, Status nonnulli patriæ lan-*  
*guescentis amore, quid de comitijs e-*  
*jusmodi sentirent, Germana libertate*  
scripto



scripto publico contestati sunt, quod Sleidano memorante, ita habet: *multos agri conventus Imperij, quorum hic ferè sit exitus, ut pecunia subtili quadam ratione corrogetur, incisus Germaniæ nervis: idq; fieri per eos, qui suffragiorum numero vincant in Imperij consessu. Quod si is debeat esse Reipublicæ status, multò præstare, ut nulli sint Imperij conventus: sic enim nec temporis, nec sumptuum jacturam fore. Neq; tamen interim expediri Germanorum negotia, sed longissimè differri; sic quidem, ut magna sit plurimorum de eo querimonia: & quæ sequuntur Norunt autè non tantum hoc exteri, sed nudis quoq; dentibus rident, ita ut jam dudum Paulus Jovius, magni nominis apud Italos Historicus, scribere non dubitavit summam Comitiorum Germanicorum esse pecuniam. Verùm enim verò, quamquam cuncta hæc nequaquam fictitia esse (nolimus velimus) fateri cogimur, Auditores, nullo tamen modo ita nos movere debent, ut omnes Principum conventus, sive in Germania, sive apud alias nationes, simpliciter vitandos, aut dissuadendos esse statuamus: multò minùs ut comitia aut diætæ, quas diximus, usquequaq;*



quaq; improbemus. Ad quod evincen-  
 dum, aliunde multa conquirere nulla ur-  
 get necessitas, sed ille ipse Cominaeus, cu-  
 jus autoritatem supra audivistis, arma no-  
 bis subministrat maximè accommoda.  
 Unum nunc sit instar omnium hoc ipsius  
 testimonium luculentissimum, quando  
 inquit: *à morte Ludovici regis convenerunt  
 omnes Galliae ordines, ut de summa Imperij  
 statuerent. Non deerant id temporis imperiti  
 quidam, & tenuis conditionis, ac nullius usus  
 homines, qui dicebant, ejusmodi conventus  
 ad crimen laesae majestatis pertinere, quòd re-  
 gum imminuatur eo ipso potestas. Verùm,  
 qui sic loquuntur, scelere se polluunt, gravis-  
 simeq; dubio procul, & Deum & Rempubli-  
 cam offendunt. Nam ejusmodi voces solum  
 spectant ad privatam utilitatem eorum, qui  
 nullo suo merito vel virtute, autoritatē obti-  
 nent, qui ad nullam rem honestam idonei,  
 clandestinis susurrationibus principum aures  
 demulcent, & gratiam eblandiuntur, qui  
 conventus idcirco metuunt, ne ipsorum dete-  
 gatur improbitas. Ex quo memorabili effa-  
 to, intelligere licet, Auditores, ut autor li-  
 terarum eruditione quidem rudis, at na-  
 turæ felicitate, ingenij præstantiâ, integri-  
 tatis*



tatis gloriâ, & quod omnium est præcipuum, pietatis studio ante alios eximius, & quem Justus Lipsius, acutissimus censor, enchiridon civilis prudentiæ appellavit, ea quæ de principum conventibus scripta reliquit, à sensu sinisteriore ipse vindicavit. Gallo huic succenturiatas præstat operas, alius Galliarum historiæ autor illustrissimus, Jacobus Aug. Thuanus, apud quem regni Cancellarius maximus, Michael Hospitalius, vir non minus longo rerum maximarum usu & experientiâ, quàm rarioris doctrinæ atq; eruditionis laude suspiciendus, in elegantissima illa Oratione, quam Aureliani, An. M. D. LX. in publico regni procerum conventu habuit, hunc insignem comitiorum usum esse ait, ut rex cum populis imperio suo subjectis, quasi in familiare colloquium descendere videatur, de Republica in commune consulat, nec non privatorum querelas atq; res, ut verè habent, citra fucum intelligat; quod per suorum fraudes ac dolos plerunq; non licet. Proinde minimè audiendos esse, qui regem infra dignitatem facere ajunt, cùm conventus habet. Exempla ad manum esse, & si an-

nales



nales evolvantur, compertum iri, magno  
 semper regni bono, comitia fuisse cele-  
 brata, magnumq; emolumentum Reges  
 ex ijs percepisse : & quæ prudentissimè in  
 hanc rem dicuntur plura, quæ heic atte-  
 xere temporis ratio non permittit. De  
 Britannis contrà scribit Tacitus, nihil illis  
 quicquã majori vel fraudi vel detrimen-  
 to fuisse, quàm quod in unum non con-  
 venerint. Germanos verò laudat idem  
 scriptor *πολιτικῶς*, quòd certis diebus  
 ad consultandum coire solitum illis fue-  
 rit, & ita quidem, ut vel principes, vel o-  
 mnes coierint, prout res inciderint vel  
 minores, vel majores. Omnium verò o-  
 ptimè cognitã habuit hanc conventuum  
 utilitatem inclytissimus Imperator Caro-  
 lus I V. cum in bulla, quam vocant, au-  
 rea, (verè aureã, cujus quasi glutino salus  
 dignitasq; totius Imperij, ejusq; pedes fer-  
 ro-lutei, quantum licet, connectuntur)  
 prudentissimè sanxit, ut sacri Imperij  
 Principes Electores, ceu bases solidæ &  
 columnæ immobiles, singulis annis, à fe-  
 sto Resurrectionis Domini, de Imperij  
 orbisq; salute deliberatum convenirent,  
 & sic à veneno discordiarum, quod ser-

P

pens



pens antiquus in palmites Imperij evomere nunquam non adninitur, vinetum omnium pulcherrimum sollicitè vindicarent. Quæ sanctissima Optimi Principis constitutio, ex quo tempore insuper habita fuit, & conventus isti annui in Imperio cessaverunt, omnes penè deformitates (quod graviter aliquando dixit Nicolaus Cusanus Cardinalis) in imperium irreperunt. Salubre igitur fuit consilium, quod Sigismundo Imperatori jam laudatus Cardinalis suppeditavit, nimirum, ut veterem illum conventuum annuorum morem, per successores in usum revocaret. Imò Hincmarus Episcopus Remensis, rariore prudentiâ insignis, Carolo Magno, apud quem Cancellarij munereungebatur, ingenti Reipublicæ emolumento, hoc consilij dedit, ut non semel duntaxat, sed bis singulis annis, conventus in imperio haberentur. Sed quid attinet historiarum nubes cogere à tot seculis, cum nemo hodie tam hospes sit in Imperio Romano - Germanico, quem fugiat, quantum utilitatis vel avorum memoriâ, comitia Imperij frequentiora patriæ laboranti attulerint: ubi de pace Religio-

dis,



nis, de arcendo hoste Christianorum con-  
 jurato, de justitiæ administratione, de ca-  
 pitis & membrorum incolumitate atq;  
 harmoniâ, de bonitate monetarum, de  
 legum reverentia stabilienda, deq; alijs  
 ad salutem publicam pertinentibus, san-  
 ctiones omnium saluberrimæ, tantâ dex-  
 teritate promulgatæ sunt, ut earum pru-  
 dentiam, etiam exteri cum stupore admi-  
 rentur, simulq; studeant imitari. Adeo  
 quidem, ut non immeritò de comitijs no-  
 stris in Germania prædicare liceat, quod  
 de Senatu Romano olim dixit Cyneas;  
 nempe consistorium esse multorum re-  
 gum. Quò respexisse credo Carolum V.  
 Imperatorem gloriosissimum, cum in  
 Germania se Regibus imperare dixit. Vel  
 quod de Parlamento suo Parisiensi lau-  
 dant Galli, partem esse Reipublicæ melio-  
 rem, arbitrium principum, refugium in-  
 nocentiæ, robustissimum repagulum in-  
 ter potentiam magnatum & imbecillita-  
 tem pauperum, cor & clypeum Imperij.  
 Vel quod Poëta noster Güntherus ( ut &  
 in hujus sententiæ veritatem eum addu-  
 camus ) de faustorum siderum conjun-  
 ctione eleganter cecinit, quæ



— propitio post secula plurima signo,  
 Conveniunt, aliquemq; boni majoris in orbe  
 Proventum, pacem terris, hominumve salu-  
 tem,

Temperiemve poli, fidosq; colentibus agros  
 Aut simile his aliquid concordi fœdere jurant.

Atq; hunc eventum fortunatissimum  
 de illo quoq; conventu Ratisbonensi, non  
 ita pridem finito, augurari lubet, Audi-  
 tores. Et quidem cum voto hoc publico,  
 ut quemadmodum cornix aliquando, te-  
 ste Tranquillo, Romæ in Capitolio hæc  
 verba futuri temporis, quia præsentis nõ  
 poterat, enunciavit, ἔσοι πάντα καλῶς: ita &  
 nos cum felicissimo Rege Romanorũ nu-  
 per electo, FERDINANDO III. &c. domi-  
 no nostro clementissimo, pacem tum  
 semper optandam, tum hoc tempore, i-  
 stisq; rerum fluctibus, quibus ad discordi-  
 arum scopulos fato quodam delati vide-  
 mur, maximè necessariã, (cũm Reipubli-  
 cæ Romanorum diu ægræ faucia q;, salus  
 ultima in solâ quiete posita videatur) pa-  
 cem, inquam, hoc est, omnem omnis ge-  
 neris bonorum affluentem felicitatem,  
 Numinis benignitate magno animo no-  
 bis promittamus, speremus, obtineamus  
 Sed,

Sed,



Sed ad alium nunc conventum per-  
gendum mihi esse video : ad actum, di-  
co, hunc promotionis Academicæ, cujus  
causâ huc convenire placuit. Ubi me-  
moriæ suecurrit, quod in Anglia actus e-  
jusmodi Academici, quibus supremi ho-  
norum tituli merentibus conferuntur,  
comitia appellari solent : quos conven-  
tus Academicos non nemo Germano-  
rum, magnis parva componens, ideò fe-  
liciores longè arbitratur istis Imperij diæ-  
tis, de quib<sup>9</sup> nobis sermo fuit, quod in his  
nostris, min<sup>9</sup> concertationum reperire li-  
ceat, & quilibet de loco sibi assignato cer-  
tus, citra rixas & turbationes, jure posses-  
sionis suæ frui possit.

Quod igitur, Cl. & Consultis. Dn. D.  
Ægidi Agricola &c. à me petijsti, lubens  
meritoq; tibi concedo, nimirum, ut vigo-  
re privilegiorum ab Imperatore nostro  
Augustissimò & Clementissimo &c. in-  
clyto Senatui Reipublicæ Noribergensis,  
liberalissimè concessorū, autoritate No-  
bilissimorum Dn. Scholarcharum, tres i-  
stos candidatos præsentés, viros præstan-  
tissimos atq; doctissimos,

*Dn. Tobiam Pröbst Noribergensem,*

*P 3*

*Dn.*



*Dn. Johannem Gabrielem Wurfbain, eadem patria oriundum, (cujus parenti, Viro Cl. & Consultissimo, Consiliario & Advocato Norico, collegæ nostro, de felicitate ista rariore, quam hodiernus dies ipsi adfert, cum filium æmulum, eodem honoris titulo, quo ille jam per annos quatuor & triginta gaudet, præsens lætusq; insigniri videt, publica voce gratulamur)*

*Et Dn. Johannem Casparum Unrath, Schönavia Hennebergicum, omnes, inquam, & singulos istos præsentem: nec non cum illis simul etiam competitorum quartum absentem, virum Clarissimum,*

*Dn. Valentinum Heiderum, Syndicum Lindaviensem, qui jam ante septennium, legibus nostris satisfaciens, honorem istum promeruit, hætenus verò per urgentia Bellonæ fata, ad nos redire prohibitus, nunc in Legatione ad Conventum Ratisbonensem, morbi pertinaciâ hodieq; ibi lecto affixus tenetur: (quam quidem absentiaë causam, nemo non, cum Ulpiano nostro, justissimam esse confitebitur) atq; ita tam absentem illum, quam præsentem hosce tres, utriusq; Juris Doctores publicâ solennitate renunciemus, illisq; omnibus*

mnibus



mnibus & singulis jurisjurandi fide solitâ obstrictis, immunitates Doctoreas, more recepto conferas. Quod ut feliciter eveniat, & eum, quem exoptant boni omnes, scopum attingat, divinam Numinis Majestatem submissè obsecramus: & quidem, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quàm loquendo.

D I X I.



ORATIO IX.

*De raritate Philosophorum, & quàm necessaria sit Philosophia ad studium Theologiae.*

Habita XXIX. Junij, festo Divorū Petri & Pauli, Academiae Panegyrico. M. DC. XXXVII. cum quatuor Magistri Philosophiae renunciarentur.

**R**ari sunt qui philosophantur, inquit Herennius Modestinus; quem non contemnendæ autoritatis Ictum ipse appellavit Imperator Gordianus. Et sanè

P 4

ica



ita est, AUDITORES, rarior semper fuit Philosophorum numerus, vixq; singulae aetates, singulos tulerunt Philosophos. Pauci enim sunt, quibus dii veram Philosophiam dederunt; quod post Cicero- nem affirmavit quoq; magnus Ecclesiae Doctor, Aurelius Augustinus ad Marcel- linum. Imò rarissimos invenias, qui Py- thagoræ testimonio, cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studio- sè intueantur, hoc est, qui veræ sapientiae unicè incumbant: hos enim Philosophos indigitare schola Pythagorica consuevit. Ex qua quidem raritate factum est, ut o- vum noctuæ, vel cum Galba Imperatore, mulæ partum, aut cum Poëta Satyrico, nigrum cygnum albumvè corvum vide- re se putarint, quibus verè Philosophum, aut rarioris sapientiae studiosum fortuna aliquando obtulit: non secus, quàm si de glacie media nascantur violæ, aut de ni- vibus rosæ, aut de pruinis lilia. Causam verò hujus raritatis Satyricus, quem dixi, significavit, quando raros esse bonos (ita appellamus verè Philosophos) cecinit, & numero vix totidem, quot sunt

*Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.*

Etenim



Etenim cùm nihil uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum generi à dijs immortalibus datũ sit Philosophiã, quod ex Platone passim confirmat Tullius; cùm rebus autem humanis non tam benè agatur, ut meliora pluribus placeant; fit exinde, ut non tantùm major hominum pars deteriora sequentes, eant, non quã eundum est, sed quã itur: verùm etiam illi, qui animum ad liberales disciplinas applicant, Philosophiæ studia insuper habentes, publico detrimento, superiores, quas vocant, facultates involent, & planè ut sus in rosas irruant. Similes, Aristippi iudicio, procis istis insulsis Penelopes, qui cum ancillis familiariter viventes, nihil minus quàm dominæ nuptias impetrarunt: vel Ulyssi ad inferos descendenti, quem Aristo cum omnibus ferè manibus collocutum ait, Reginam verò ipsam ne vidisse quidẽ unquam. Hanc de Philosophorum raritate querelam, haud intempestivè actus iste hodiernus, qui Philosophorum honori facer est, in memoriam nobis revocat; utpote quem ante hac quidem singulis annis in panegyri Academica videre solemne fuit; an-



nis verò nunc septem, sive diuturnis Bel-  
lonæ furijs, sive ingeniorum quorundam  
sinisteritate, vix semel iterumq; celebra-  
re licuit. Itaq; sublimiorum scientiarum  
assecclas, eò magis submittere se hodie ve-  
lim, quò rariùs Philosophiæ Magistros  
publicè condecorare hæctenus nobis da-  
tum est. Nemo enim nescit, chariora esse  
quæ rariùs obveniunt. Neq; peccare mi-  
hi videor, si illud huc applicem, quod de  
Pauli filio, everfore Carthaginis & Nu-  
mantia, refert Macrobius, ad quem cùm  
in villam ad Laurentum allatus esset aci-  
penser, rarissimus inventu piscis, & Api-  
ciorum Nomentanorumq; gulæ inpri-  
mis expetitus; is tam elegans nactus cœ-  
næ caput, unum & alterum ex ijs, qui se  
salutatum venerant, invitavit; plures in-  
vitaturus, nisi Pontius ejus familiaris in au-  
rem insussurrasset; vide quid agas, Scipio,  
acipenser iste paucorum hominum est. I-  
ta & nos, non in aurem insussurramus uni-  
us, sed publica voce omnium animis in-  
clamamus: videte quid agatur hodie, Au-  
ditores: iste honor philosophicus pauco-  
rum hominum est. At enim, ut M. Tulli-  
us tempore infelicissimi belli civilis, quo  
Respub-



Respublica Romana sub umbra libertatis animam agebat, ad Curiū scripsit, eos, qui benè sentientem civem viderant, putasse albam quasi avem, hoc est, læta augurantem se vidisse: eodem modo nos hodie, cū Philosophiæ istos Candidatos intuemur, albas aves, hoc est, cives Academicos de Philosophia rectè sentientes, læto studiorū proventu conspiciamus. De quo raritatis augurio, præfari nunc constitui, Philosophiæ causam ita acturus, ut quanquam Philosophus non sum, à Philosophiæ tamē institutis non valdè alienus, efficere contendā, ut admirationi sint Philosophi, pluriumq; animi ad amorem Philosophiæ (quem negare neq; possim si velim, neq; velim si possim) inflamentur. In qua tamen muneris nostri parte, nemo elaboratum quid, aut quod Demosthenis lucernam oleat, expectabit: quod quidē ab eo requirere, qui Reipublicæ laboribus assiduè distinetur, & tamen in confesso Athenæi publico tacere non debet; nihil aliud esset, quàm si quis nolit antidotū bibere, nisi vas sit adductum ex Atticæ Veneris figulina; aut in hyeme vestem non induere, nisi quæ lanam habeat ovium Atticarum.

Ut



Ut autem vestigijs insistam supra laudati Icti Modestini, operæ pretium erit, cum primis mentem auctoris clarius aperire, quæ talis est. Scripsit ille elegantioris legum scientiæ peritus, excusationum libros sex Græcè; quorum nitorem Latinum, à Bulgaro alijsq; ejus notæ interpretibus crassis, haut leviter obscuratum, illa ætas nobis restituit, qua barbariem exuerit, ope Budæi, Alciati, Haloandri, aliorumq; his similibus, Græcè & Latinè doctissimorum virorum, Jurisprudentia nostra coepit. Ex istis libris Græcis, multa multis locis refert Tribonianus in Pandectis; pleraq; verò in libris, quibus materia tractatur tutelarum. Ab earum igitur onere immunes esse debere Philosophos, post Paulum Ictum, asserit quoq; noster Modestinus; hac addita ratione, quòd pauci sint, qui philosophentur. Id verò declarat in hunc modum: *Et quidem existimo, inquit, eos qui divitijs abundant, libenter præstatueros auxilium patriæ. Quod si studiosè contendant de re familiari, jam inde ostendent facile, se nõ esse Philosophos.* Requirit igitur Modestinus in Philosophis contemptum divitiarum; non qualem in Tutitano

ditano



ditano illo, avo uxoris Antonij, reprehendit Oratorum fulmē in Philippicis; quem cum pulla & cothurnis nummos populo de rostris spargere solitum ait: quam stultissimam pecuniæ contemptionem qui approbant, & Aristotelis philosophorum sapientissimi sententiā, qua divitias momenti aliquid ad felicitatē afferre statuit, superciliosē allatrant, eos aut in macellum, aut ad Janum medium abire jubemus; quò cūm advenerint, quem & quantum usum nummus habeat, sine præceptore ullo facilè intelligent. Quamvis enim accessiones istæ bonorum, in constituenda vita Philosophi beata, ita parvæ sint & exiguæ, ut quemadmodum stellæ in radio Solis, sic istæ in virtutum splendore ne cernantur quidem: carere tamen illis non possunt, qui virtutis via ad gloriam, bonumq; grassantur summum. Sed ita pecunias à Philosophis contemnendas, ex mente Ictorum nostrorum dicimus, ut earum amor ea, quæ ad honestatem faciunt & utilitatem publicam, longè anteponenda existimemus. Planè ut Romanus sapiens, Philosopho amplas opes habere permisit, sed nulli detractas, **nec**



nec alieno sanguine cruentas; sine cuiusquam injuria partas, sine sordidis quæstibus: quarum tam honestus sit exitus, quam introitus; quibus nemo ingemiscat, nisi malignus. Neq; enim domo eijcere divitias debet Philosophus, neq; inutiles dicere: sed quemadmodum si pedibus poterit iter conficere, ascendere tamen vehiculum malet: sic si poterit esse dives, volet: & habebit utiq; opes, sed tanquam leves & avolaturas; nec ulli alij, nec sibi graves esse patietur. Atq; in hunc sensum non tantum Modestinus, sed & Papinianus,

*Virtutis vera custos rigidusq; satelles,  
Philosophis, inquit, qui se frequentes & utiles per eandem studiorum sectam contendentibus præbent, tutelam, item munera sordida corporalia, remitti placuit, non ea quæ sumptibus expediuntur. Etenim verè philosophantes pecuniam contemnunt, cujus retinende cupidine fictam asseverationem detegunt. His duobus Legum prudentiæ fulcris, ad stipulatur quoq; Ulpianus, famam atq; ingenio eximius, cum ad quæstionem, an & philosophi professorum numero sint? respondet, hoc primum pro-*



profiteri eos oportere, mercenariam operam spernere. Horum primi ordinis Ictorum autoritate moti Imperatores nostri, duas constitutiones nobilissimas de Philosophis promulgarunt, relatu dignissimas: quarum altera ita habet: *reddatur unusquisque patrie suae, qui habitum Philosophi indebitè & insolenter usurpare cognoscitur, exceptis his, qui à probatissimis approbati, ab hac debent colluvione secerni. Turpe enim est, ut patrie functiones se ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur.* Altera scripta est ad Philosophum quendam, his verbis: *professio & desiderium tuum inter se discrepant. Nam cum Philosophum te esse proponas, vincis avaritia & rapacitate; & onera, quae patrimonio tuo injunguntur, solus recusare conaris; quod frustrate facere, ceterorum exemplo poteris edoceri.* Illi igitur in jure nostro habentur Philosophi, non qui barbam altam ac promissam gerunt, quod viri appareant graves, & non indigni decem drachmarum millibus; quam summam olim accipiebant publicè, ut moribus & doctrina praesentent juventuti; quorum ineptitudinè falsè ridet Lucianus in Eunucho; & quàm stulticiam ipse quoque risit Thræsea sophista nobilis. Hic enim

enim



enim percontanti cuidam, quam Philosophiæ sectam potissimum amplecteretur, respondit: quis tibi indicavit me esse philosophum? moxque vehementer secum ridens abiit; interrogatus, quid rideret; an non magnoperè ridiculum, inquit, si tu me ex barbâ judicas philosophum, ipse barbam non habens? Tales qui sunt, Auditores, non Philosophi, sed philosophastri dici merentur: ut Maximus ille Ægyptius Cynicus, baculo, coma & veste attrita severus; cum quo sanctis olim Ecclesiæ doctoribus, Basilio & Nazianzeno, plurimum negotij fuisse, ex scriptis illorum scimus. Vel ut Crates ille apud Aristotelem, qui paupertate & sordibus ambitiosè sapientiam affectans, illis verbis sese extulit: *habet nescio quam vimpera & lupinorum modius*. Quasi verò illuvies sapientiam gignat, aut bonam mentem producat simulata mendicitas. Certè, qui ita philosophari amant, digni sunt, quibus illud Herodis Attici, consularis viri, ingenioque amoeno & Græca facundia celebris, respondeatur; ad quem, referente Gellio, cum adisset palliatus quispiam & crinitus, barbaque propè ad pubem

bem



bem usq; porrecta; ac petijset æs sibi dari ad emendum panes, interrogatus, quis nam homo esset? ille verò vultu sonituq; vocis objurgatorio, Philosophum se esse diceret; Atticus sapiens respondit: *video barbam & pallium, Philosophum non video.* Coma igitur & pallio qui hunc in modum operti, mores & emolumenta Philosophiæ, in linguæ verborumq; artes convertunt, & vitia facundissimè accusare norunt, intercutibus ipsi vitijs madentes; illis dicam scribemus ex Pacuvio, cujus versum Macedo Philosophus, vir bonus, pro foribus omnium templorum scribi debere censuit, qui ita habet: *Ego odi homines ignavâ operâ, & philosophâ sententiâ.* Quin illos quoq; non admittimus, qui in dolio habitant, & in medio foro publicâ superbiâ, novoq; supercilij fastu præ alijs turgent; quibus ineptijs inclarescere visum est Diogeni, qui ob id reprehensus, etiam Philosophiæ simulationem, Philosophiam esse dicebat. Multò minus Philosophi nobis sunt, qui alio vanitatis genere capti, omnem industriam in contortulis captio-nibus collocant, & ceu catellæ ad rixas & morsus sophismatum & quæstiuncularum

Q rum



rum se conferunt; à quibus si pedem extulerint, putant se in alium terrarum orbem delatos : ex quo non ludo , sed luto prodière Thomæ, Scoti, Durandi, Sera- phici, Cherubici, & reliqua proles, non rara, quam nos amamus, sed numerosior. vel Cadmea sobole; inter quos qui subtilissima collectione alterum fallere didicit, is rex est, & digito se coelum putat attingere. Talis fuit adolescens ille Atheniensis, apud suprâ laudatum autorem Noctium Atticarum, disputator insolentissimus; qui Philosophiæ Stoicæ sectatorem se jactabat unicè, & præ se uno, cæteros omnes linguæ Atticæ principes, totumq; nomē Latinum rudes esse & agrestes prædicabat; interea vocabulis haud facile cognitis, syllogismorum captionumq; dialecticarum laqueis strepens, & atrâ verborum ac argutiarum fuligine ob oculos audientium jactâ, sanctissimæ disciplinæ nomen ementiebatur. Cui tamen vel unica Epicteti dissertatio, de veris & falsis Stoicis, cùm in eum legeretur, os tandem egregiè obturavit. Imò sunt etiam, qui non minori infaniâ laborantes, inficias ire audent, quæ sunt manifesta omnibus; quiq;



quiq; serio vultu asseverare non dubitant, quod nemo agrotus unquam somniavit, magis ridiculum. Ut Xenophanes ille, qui in Luna homines habitare affirmavit, eamq; esse terram multarum urbium & montium. Aut ut Nicetas Syracusan<sup>o</sup>, qui coelū, solem, lunam, stellas, supera deniq; omnia stare censuit, neq; præter terram, rem ullam in mundo moveri. Vel ut Anaxagoras, qui nivem nigram esse dixit, quia aquam, unde nix esset concreta, nigram sciret. De quibus non incommode usurpes illud Ciceronis : nescio quomodo nihil tam absurdè dici potest, quod nō dicatur ab aliquo Philosophorū. Et tamen qui hos imitantur hodie, præclara Aristotelis atq; Platonis, scilicet, progenies sibi videntur; cū infauſto poti<sup>9</sup> fidere ad hoc sint geniti, ut quæ illi divina ingenij felicitate pepererūt, isti ingenij perversa ostentatione destruāt: homines verè ita nati, ut dū difficiles habere nugas amant, miseri esse nūquā desinant. Breviter, mortales omnium vanissimi, qui nisi cū moriuntur, nihil rectè faciunt. Hoc verò genus hominū malè sanū, Philosophos, aut raros dicere, quid quæso aliud esset, quàm cū pueris mi-

Q 2

rari



rari Junonis avem? aut ejulare, quòd in sylvis nulli nascantur fungi? Illos igitur (iterandum enim est) Philosophos dicimus & laudamus, illos Icti nostri amore atq; immunitate dignos censent, qui quæ vulgus stultè miratur, contemnant: ita morati, ita animo ac vitâ constituti, ut ratio postulat: qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putant: qui obtemperant ipsi sibi, & decretis suis parent: qui scientiæ aliarumq; virtutum imagines vivæ, optimi esse malunt quàm videri; quiq; Græcè & Latinè non leviter tincti, sed penitus imbuti, juvenum animos elegantioribus studijs exornant, viamq; perveniendi ad scientias sublimiores, fideli dexteritate monstrant, & quæ ad vitam publicam & privatam benè ac feliciter peragendam honesta sunt & utilia, strenuè atq; prudenter inculcant. Ad hanc Philosophiam excitamus studiosos omnes & singulos, sive Theologiæ operentur, sive Jurisprudentiæ leges colant, sive artem sectentur Medicam. Cum primis verò hac vice illos, qui Candidatorum nostrorum exemplo, ad supremam illam scientiarum domi-

nam



nam, venerandam Theologiam, animum applicare gestiunt. Ad hujus enim & perfectiorem cognitionem, & usum feliciorum, veram Philosophiam non pulchram tantum & jucundam, sed & vehementer utilem, & necessariam esse maxime, omnium animis quam persuasissimum esse cupio. Quod in gratiam Candidatorum nostrorum, qui vel ob raritatem, quam Icti nostri suspiciunt, nobis sunt accepti, demonstrabo paulo evidentius; quia spes me habet bona, horum exemplum laude dignum, posthac imituros esse plures. Est enim Philosophia effectu suo admirando, Erungio herbæ similis, quam, si una aliqua capra sumserit in os, (quod Plutarchus scribit) primum ipsam sistere, deinde reliquum omnem gregem cum illa consistere facit; tanta vi odoris, ut ignis in morem, quam celerrime in proxima quæq; dissipetur atq; ea occupet. Sic quoq; Philosophia, ubi unius animum expleverit honestate, per unum plures in pulchritudinis suæ admirationem rapit, suiq; amore sibi devincit; quod quidem Anaxagoras fecit Pericli, Dioni Plato, Pythagoras Italiæ primatibus, A-

Q<sub>3</sub>

theno-



thenodorus Catoni, Scipioni Panætius, alijsq; alij. Evincemus autem quod de Philosophiæ utili & necessariâ conjunctione cum Theologiæ studio innuimus, exemplorum pondere potissimum; quod probandi genus cum res oculis quasi subjicitur, efficacissimum esse, omniumq; maximè penetrare constat. Primas verò haud immeritò assignamus Basilio magno, quem omnium suffragijs, inter Græcos scriptores Ecclesiasticos habemus principem, & de quo Theologorum præstantissimorum hoc est iudicium, ut nullius extare monumenta dicant, qui rectius & melius locutus sit. De eius igitur studio Philosophiæ, verba audite Gregorij Nazianzeni, interprete Pirckheimero, Senatore olim Reipublicæ nostræ maximo: *Quis adeò, inquit, Rhetoricam pernovit, impetum spirantem ignis? quis ita in Grammatica excelluit, quæ linguam exornat, historias colligit, metris imperat, legemq; fert poematibus? quis ita Philosophia inclaruit, sublimi illa & sursum ascendente, tã activa quàm contemplativa, ac ea quoq;, quæ circa rationales versatur demonstrationes, quæ cõtrapositiones habet & exercitia, quæ & Dialecticã vocant;*

vocant;



vocant; ita ut facili<sup>9</sup> esset è labyrinthis evadere, quàm illi<sup>9</sup> (Basili<sup>9</sup>) sermonū retia effugere, si ita foret necesse: & quæ ibidē orator addit, de Astronomia, & Geometriâ, alijsq; Philosophiæ disciplinis præstantissimis, quib<sup>9</sup> Theologus sumus, magno Ecclesiæ comodo atq; ornamento, stellæ instar lucidissimæ conspicuus fuit. Sic de ipso quoq; Nazianzeno, Basili<sup>9</sup> collega conjunctissimo, nō parum laudatur in ejus vita, quod in Grammatica, Rhetorica, Philosophia morali & contemplativa, in disciplinis Mathematicis; præsertim verò in Astronomia, reliquisq; studijs liberalib<sup>9</sup> eo usq; excelluerit, ut doctor illarū habitus fuerit maximè eximius. Imò hac ratione idē hic in Theologiæ quoq; profunditate, ita ante alios eminent profecit, ut licet multi extiterint in Theologica sapientia viri, eruditionis fama nominisq; celebritate clarissimi, solus tamē iste post Johannem Evangelistam, Theologi nomine κατ' ἐξοχὴν sit insignitus. Uterq; etiam, (Basili<sup>9</sup> & Nazianzenus) ob exquisitā artium philosophicarū cognitionē, novi Moses noviq; Daniel appellabantur. Quin & illud mirari licet maximoperè, quod idē Nazianzenus,

Q 4

zenus,



zenus, cùm in Basilio Philosophiæ eruditionem commendat, Eliam quoq; Thebiten & Johannem Baptistam Philosophis annumerare non veretur; atq; ita quidem, ut admodum Philosophos eos fuisse magna asseveratione confirmet. Justinus, & martyr & philosophi cognomine celebratur Tertulliano, quod Philosophiam Peripateticorum, Pythagoræorum, aliorumq; calleret exactissimè. Irenæum idem Tertullianus, omnium doctrinarum exploratorem appellat curiosissimum. Sic pectus & os illud aureum, Johannes Chrysostomus, cujus mellita suaviloquentia nunquam lutulenta fluens, sed semper sibi similis, lectorem jucundissimo artificio in stuporem rapit, raptum delectat, delectatum erudit, eruditum meliorem dimittit; in Philosophia insignitè fuit doctus, solusq; inter Ecclesiæ scriptores omne dicitur tulisse punctum, dum utile miscuit dulci. Is oratoriam sub Libanio Rhetore, Philosophiam sub Andragathio tanta didicit perfectionis laude, tantaq; dexteritate ad pietatem Christianam applicavit, ut nescias, illamne mirari, an verò hanc venerari magis



magis in eo debeas. Sic enim eruit, quæ sunt abstrusa, sic ad pietatem dirigit, quæ mirari solet mundus, sic ostentat, sic ingerit oculis, ut dicas esse quempiam, qui singularis artificij tabulâ spectatores removeretur; quam quò diutius ac propius inspicias, hoc magis aperit sese subinde novi quippiam, quod oculos fefellerat, & animadversum recreet. Exempli causa, in orationibus de Lazaro & divite ( ut hoc unicum nunc adducam ) Deum immortalem ! quanta eruditione, quanta eloquentia, quanta pietate rem omnem examinat, effatur, inculcat ? quis alius perspexisset, quæ ille ibi commonstrat ? quumq; jam spectator credens nihil superesse parat abitum, ille revocat, denuò nova exhibet; deinde rursus aliud ex alio ostendit, nec patitur à tabula quasi discedere, donec tandem adhuc avidum & inhiantem dimittat. De qua rariore autoris solertia, magno voto exclamat accuratissimus harum rerum æstimator, Erasmus Roterodamus, princeps literarum, sine pari : *utinam tales oratores nunc ubiq; haberet Christianus orbis; ab his enim pendet totius Republicæ disciplina.* Quanto flu-

Q 5

mine



mine eloquentiæ scateant homiliae. Origenis, vel unica illa, divina planè, de Abrahamo, filium immolare iussu, satis declarat: in quo genere ille ita primas obtinet, ut nemo cum illo conferri possit. Sed quid post Græcos istos dicā de Theologis Latinis, quorum Philosophiæ cognitio laudatissima non minus Ecclesiæ profuit, quàm Græcorum? Ut de Lactantio, cuius linguam unicè miratur Hieronymus; & cuius acumen in Philosophia sublimè, quo veritatem rerum Theologicarum assertum iovit, speciosas Ethnicorum argutias, ut Sol nebulas dissipavit, licet erga Philosophos alicubi fuerit durior. Quid de Hieronymo ipso, quo, si eruditissimum Vallam audimus, nihil est eloquentius, nihil magis oratorium, nihil benè dicendi sollicitius, studiosius, observantius: qui somnium illud fictitium, antehac quoq; nobis refutatum, quod Ciceronianus esset, & ideò ad tribunal DEI flagellis cæsus, ipse deridet, & simul Rufinū, nugas istas sibi obijcientem: cuius opera deniq; habentur instar bibliothecæ, ex qua Oratores, Philosophi, Theologi, quod discant, quod doceant, quod usurpent,

pent,



pent, nunquam deficiente abundantia  
 depromere possunt. Imò qui ita deli-  
 cijs omnia condit ac locupletat, ut cum  
 aberrat à vero, aut à re digreditur, ta-  
 men plus bonæ rei doceat, quàm inter-  
 pretes alij rudiores, cum verè rem tra-  
 dunt. Quid de Augustino, qui ipse gra-  
 tulandum sibi putavit vehementer, quod  
 cum varijs erroribus adhuc circumferre-  
 tur, in Platonem potissimum incidere,  
 cujus dogmata propius ad CHRISTI DO-  
 ctinam accedere animadvertit. Quàm  
 sollicite idem Licentium suum ad Musas  
 philosophicas reverti iusserit, ipsiusmet  
 audite verba notatu dignissima: *Redeun-  
 dum, inquit, tibi est ad illos versus. Nam e-  
 ruditione disciplinarum liberalium, modesta  
 sane atq; succincta, & alacriores & perseve-  
 rantiores & comptiores exhibet amatores  
 amplectendæ veritati, ut & ardentius appe-  
 tant, & constantius insequantur, & inhere-  
 ant postremò dulcius.* Sed dies me deficiet  
 prius, Auditores, quàm disserendi mate-  
 ries, si omnia, quæ ad hanc causam no-  
 stram faciunt, speciatim ex antiquis istis  
 Græcæ & Latinæ Ecclesiæ columnis, in  
 medium proferre velim. Ex recentiori-  
 bus

bus



bus verò, qui eâdem Philosophicæ eruditionis laude eminent, quid opus est multos allegare? Ipsa Respublica nostra & hæc Academia, viva nobis dant exempla Theologos Reverenda dignitate præstantes, Philosophiæ, Oratoriæ, aliarumq; artium humaniorum peritia conspicuos. Quos non ineptè velut apes dixeris, quæ in longinqua etiã pascua volitantes, dulcissima mella, cerasq; miro artificio condere solent: reliquos verò malè dissentientes, formicis similimos, quæ ex proximo sublata furto grana, in latibulis suis abscondunt. Quin & illud studiosis nostris Theologiæ dictum volo, prius congruè pureq; loqui discant, quàm disputare; & verborum ac Latini sermonis curam habentes seriò, diligenter sibi caveant, ne cui aliquando contingat, quod sub Honorio III, evenisse memoratur, qui Episcopum quendam Calviniensem dignitate privavit, eo tantùm nomine quòd fateretur, se Grammaticam non didicisse. Vel quod accidit patribus Concilij Tridentini, ad quos cùm Ferrerius Legatus Regis Galliarum doctissimus, in publico confesso sermonem haberet, &

verbo



verbo intercedendi uteretur, nonnulli ex  
 Episcopis qui aderant, cum non intellige-  
 rent, quid verbo intercedendi Orator e-  
 loquentissimus significaret, à proximè se-  
 dentibus quæsiverunt, pro quo oraret  
 Rex Christianissimus. O ruditatem Anti-  
 stitum Concilij insignem, quorum insci-  
 tiam, cum superbia conjunctam, ingenua  
 libertate notavit Thuanus, scriptor Hi-  
 storiarum illustrissimus, cujus fidei, qua  
 neminem secundum habet, historiam i-  
 stam debemus. Multo minus illud de stu-  
 diosis nostris dici velim, quod Josephus  
 Scaliger, princeps literarum omnem lau-  
 dem supergressus, in epistola quadam ad  
 Janum Gruterum his verbis conquestus  
 est gravissimè: *Juventus nostra, quæ studijs  
 Theologiae dedicavit sese, à Grammaticis ad  
 pueri tamen Quomà statim confert se; & in his  
 repretis totam aetatem absunit: quo fit, ut  
 neq; bonarum literarum aliquem sensum ha-  
 beat, neq; verba sacrorum librorum assequa-  
 tur. Pudet me magni cujusdam viri, ma-  
 gniq; in Theologicis nominis, qui ignorat, quæ  
 puerum nescire nefas esset.* In hunc lapidem  
 igitur ne quisquam, qui ad sacrosanctam  
 & Theologiam adspirat, turpiter juxta ac  
 per-



perniciose impingat, etiam atq; etiam cavendum esse arbitror, atq; hac demum ratione Philosophiæ litari volo. Equidem non ignoro, Auditores, multos esse, qui natura quasi ab omnibus studiis philosophicis abhorre se contendunt. At horum stomachum, infirmum dicam an delicatum nimis? exemplo Democratis, Medici prudentissimi, curari opte, qui mulieri cuidam Confidiae, omnem curationem austeram recusanti, lac caprarum dedit, quas lentisco pascebat. Sic illorum delicatulum capita, ad minimum fabulis demulcenda suademus, quæ tamen Philosophiam respiciant. Sin & hoc remedium nauseam illis movebit, vel hoc tandem ex Varronis satyra, nolint velint, audire cogentur: *Si tu, quantum opera sumisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, ejus duodecimam Philosophiæ dedisses, ipse bonus jam pridem esses factus: nunc illum, qui novit, volunt emere millibus centum, te qui novit, nemo centum.* Neq; verò quisquam mihi heic obiciat Divi Pauli, Apostoli celestis auctoritatem, qui Colossensibus suis scripsit: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam.* Non enim interdicit ibi veræ Philosophiæ usum bonum præco divinus, Apostolorum

omni



omnium literatissimus, quem Laurenti<sup>o</sup>  
 Valla supra laudatus, nulla alia re inter A-  
 postolos eminere dixit, quàm eloquentia:  
 qui ipse cùm Athenis esset, cum Philoso-  
 phis Epicureis & Stoicis, ex purioribus Pe-  
 ripateticorum fontibus, disputare nō du-  
 bitavit: sed Philosophiam notat fictitiam,  
 quam inanem appellat deceptionem; &  
 quorundam abusum taxat perniciosum.  
 Nunc verò quemadmodum terra & cœ-  
 lum, nec non aër & similia, (quod corda-  
 tē respondit Philosophiæ osoribus Nazi-  
 anzenus) nō ideò sunt cōtemnenda, quia  
 quidam his malè sunt abusi, pro creatore  
 creaturã venerantes: ita verã Philosophiæ  
 nihil obest, quòd quidam falsa ejus jacta-  
 tione, se aliosq; fallunt. Et qui prohiberet,  
 quæso, Philosophiam sinceram Apostol<sup>o</sup>  
 Tarsensis, cujus patria Philosophiæ studijs  
 ipsas Athenas atq; Alexandriam, Strabo-  
 ne teste, superavit; & qui epistolis suis di-  
 vinis, multa ex Aristotele, Platone, Arato,  
 Menandro, Phocylide, alijsq; Philosophis  
 sanioribus, nunc tacitè, nunc apertè, tanta  
 eruditione, tantaq; elegantia intermiscu-  
 it, ut rectissimè dixerit Germaniæ Phœ-  
 nix, Philipp<sup>o</sup> Melanchthon, Theolog<sup>o</sup> &  
 Philo-



Philosophus de Ecclesia Christi præstantissimè meritis, *velle interpretari Paulum sine Dialecticis & aliarum artium præsijs & adminiculis, est sine stellis monstrantibus portum navigare velle cæca nocte.* Quamvis enim Spiritu Sancto illuminatus fuerit Apostolorum Smaragdus, & quidem mensura haud vulgari: studijs tamen vacare indefessè (nam & hoc taceri non debet) nihil veritus est, etiam Evangelium prædicans. Ecce enim libros, maximè verò membranas suas, Troade Romanam sibi apportari Timotheo suo tanta diligentia cura scripsisset? Multò minus attendendæ sunt illorum vociferationes sinistrae, qui Philosophiam vel ideò fugiendam clamitant, quòd multarum hæresium mater fuerit, quodq; vulgò Philosophi hæreticorum patriarchæ audiant. Esto enim quòd à Philosophis natæ sint hæreses: non tamen ideò damnanda est Philosophia, præsertim cùm hæreses Philosophorum impietate introductæ, per Philosophos terum sint oppressæ. Loquuntur hoc Ecclesiasticæ historiæ monumenta indubitata, ex quibus Erasmus in epistola, qua Irenæum Bernardo Episcopo Tridentino de-

dica



dicavit, nodum hunc ita solvit: Valentinus philosophus oppugnaverat Ecclesiam: sed Justinus & Irenæus, ambo philosophi, defenderunt. Marcion philosophus impetijt veritatem: sed Tertullianus philosophus confecit hostem. Celsus philosophus blasphemias evomuit in CHRISTUM: sed Origenes melior philosophus, ex illius blasphemijs illustravit CHRISTI gloriam. Libanius sophista propugnavit idololatriam: sed hoc facundior. Chrysoftomus, asseruit verum DEI cultum. Idem, quod Libanius, fecit quoque orator Symmachus: sed & hunc confodit potentior orator Prudentius: Et quæ idem in alia epistola, qua Basilij librum, de Spiritu Sancto, Latinè redditum, Joanni Episcopo Culmensi obtulit, pluribus inculcavit. Imò non possumus disputare contra hæreticos, inquit Basilius, destituti adminiculis Philosophiæ: quam ideo quoque non tantum magnum vitæ ornamentum, sed & non leve Theologiæ præsidium appellare non dubitavit is ipse Pater, non Sanctitate minus quàm eruditione celebris. Atque hæc Philosophiæ præsidia in Scholis Christianorum animadver-

R

tens



tens Julianus Imperator, ut apostasiâ impius, ita eruditione atq; sapientia ante omnes: agnosco, inquit, meas pennas in meis vulneribus: ideoq; Christianos omninò à Philosophiæ studijs arcere tandem detestanda severitate mandavit. Sed tempus aurem mihi vellicat. Ad Philosophiæ igitur Candidatorum expectationē respicio, quorum honori cōfessum hunc amplissimum, Academia hodie in festo Panegyrico instituit. Eorum enim honesta desideria diutius morari nefas fuerit: præsertim cùm perspecta eorum diligentia in studijs Philosophicis, nec non encomia morum publica, omnium oculis illud ipsum exhibeant, quod nos de raritate & præstantia Philosophorum præfando hætenus declaratum ivimus.

Euge igitur, fiat, quod Tu, Cl. Dn. M. BRUNO, Philosophiæ professor & Decane spectabilis, amice honorande, nomine inclyti ordinis vestri Philosophici petijsti. Et quandoquidem, qua publicè qua privatim, mores & studia illorum, ritè rigideq; explorastis, eosq; dignos deprehendistis, quibus supremi in Philosophia honores conferantur, petitioni tuæ, & officij ra-

cij ra-



cij ratione, & pro meo amore singulari, quo omnes verè Philosophos ac elegantioris sapientiæ studiosos complector, lubens meritoq; annuo; & ut Candidatos istos quatuor,

*Wolfgangum - Jacobum Müllerum, Joannem Fabricium,* tam hereditaria majorū serie, quàm propria virtute juvenem ornatissimum, Theologi quondam præstantissimi, multosq; annos in Republica nostra primarij, filium haud degenerem,

*Danielem item Wülferum,* ingenij promptitudine præstantem, & *Georgium - Christophorum Müllerum,* illius quem primo loco nominavimus fratrem, eodem virtutis tramite ad altiora progredientem: omnes, inquam, istos & singulos patriâ Noribergenses, sacramenti fide prius per Notariū solenniter datâ, vigore privilegiorum Augustissimorum Cæsarum, nec non autoritate Nobilissimorum Dnn. Scholarcharum, Philosophiæ Magistros legitimè renunciés, illisq; omnes immunitates, quibus Magistri Philosophiæ gaudere solent, publicè impertias, concedo: cum hoc voto Colophonio, ut quicquid hodie Philosophorum honori tribuimus,



divina felicitate succedat quàm optimè,  
quàm pulcherrimè.

D I X I.



ORATIO X.

De

**ANDREA ALCIATO,**

*malè Transfugâ Juris à nonnul-  
lis dicto.*

Habita XV. Decemb. M. DC. XXXVII.

cùm JOHANNES KOBIVS, Log. & Metaph. P.P.

Doctor utriusq; Juris : & JOHANNES

GERLACHIUS, Doctor Medicinæ

renunciarentur.



*Unc jam huc animum omnes ea  
quæ loquar advortite,*

*Debetis velle quæ velimus.*

Ita cum Mercurio Plautino  
vos potissimùm alloquor, Adolescentes  
optimi & studiosissimi. Vestrâ enim inter-  
est, ut dum nos publicas solennitates ce-  
lebramus, & necessarium laboribus inter-  
ponentes temperamentum, Academiae

feriari



feriari prò tempore concedimus, Vos ex  
ipsis ferijs quoq; fructum aliquem studio-  
rum percipiatis. Eoq; respexisse arbitror  
prudentiam majorum, qui publicæ utili-  
tati invigilantes potissimum, etiam inur-  
banum rusticumq; putarunt, absq; præ-  
fatione, quasi illotis manibus, munus ali-  
quod Academicum aggredi: quem mo-  
rem vel antiquitatis nomine venerandū  
insuper habere, ut nostis, religio nobis est.  
Cùm verò rem novam hodie videre con-  
tingat, quam antehac Academia nunquā  
vidit; nimirum, ut quem hætenus Pro-  
fessorem Philosophum honorastis, mox  
Jureconsultum colere debeatis; & quem  
huc usq; habuistis Magistrū Philosophiæ,  
posthac Doctorem Juris excepturi sitis;  
in admirationem, quæ novitatem comi-  
tari solet, nova ista quasi metamorphosis  
rapere quem posset; & forsan in quorun-  
dam animos sinistra illa opinio irrepere,  
quasi majestati Juris nostri aliquid dece-  
dat, si, qui per omnem vitam legum stu-  
dio non incubuit, sed Philosophiæ & hu-  
manioribus literis tot jam annos operam  
suam dicavit, nunc supremis in utroq; Ju-  
re honoribus exornandus veniat; quasiq;



apti minus sint ad interpretandum leges civiles, juraq; civibus reddendum, qui simul audiunt Philosophi. Quæ nocentissima hæresis, pestiferaq; ingeniorum sinisteritas, superiori seculo haud exiguam partem eorum invasit, qui mente lævâ, tamen primi nominis Doctores haberi cupiebant: adeò quidem, ut Erasmo teste, quem omnis eruditionis atq; sapientiæ veneramus principem, præfect<sup>o</sup> quidam Mechliniensis magnâ contentione tueri ausus sit, neminẽ posse vel unius legis intelligentiam consequi, qui quicquam in bonis literis sciret. Ex quo illud tandem consequutum novimus, ut ANDREAS ALCIATUS, vir inter Juris professores, Zafij testimonio, doctissimus, Jurisq; civilis illustrator egregius; quem Er. Duarenus non tantùm summum, sed etiam ad illustranda Juris civilis studia quasi cælitùs missum dixit; cùm primus post mille annos & eò amplius, linguarum & Philosophiæ studia, disciplinæ Juris conjungi posse feliciter doceret, à Doctorum vulgo habitus sit pro transfuga. De quo errore publicè pernicioso, occasione actus hodierni rarioris, ita præfabor, ut more Rhetorum,  
non



non omninò illaudatorū, jugulū nudem, in quo excellentiores Oratorū, eloquentiæ aciem stringant. Quod ut Vobis, Juvenes lectissimi, utile, ita reliquis Auditorib⁹ omnium ordinū splendissimis, nō ingratum fore confido, benevolentiae omniū vestrae consuetæ hac quoq; vice securus.

Dabat autem hoc operam Alciatus ante alios, ut & ordine, quem Philosophia monstrat, concinno, & docendi modo uteretur puro, qui eruditi sermonis candorem non macularet, simulq; perspicuitate, quæ prima styli virtus est, acceptus esset. Autoretiam erat omnibus, ut bonis literis & Philosophiâ prius probè imbuerentur, quàm ad Reginam rerum, Jurisprudentiam, animum applicarent: ita tamen, ut stulticiam illorum, qui vel in regulis Grammaticorum usq; ad decrepitam ætatem computrescunt, vel onusti strophis Dialectices ad orcū descendunt, nequaquam approbaret. Multò minus illorum insaniebat insaniam, qui tunc temporis novam sectam profitebantur Ciceronianorum (quam in Epistola quadam ad Alciatum magnus notat Erasmus) intolerabili supercilio nullum,



verbum usurpantes, quo non usus fuisset Cicero : amabile scil. hominum genus, quos ipse si revivisceret Cicero, certè rideret; digni interim, qui a pludam edant, & floces bibant. Hinc porrò longè secus jura interpretabatur noster, quàm vel Azo, vel Accursius, vel Pilæus; qui tanquam canes in Ægypto bibunt, & aufugiunt. Neq; etiam ut Bartolus, Salicetus, Castrensis, alijve istius ordinis glossographi prolixitate famosi, quibus

— — *Oblita modi millesima pagina surgit*

*Omnibus, & crescit multâ damnosa papyro:*  
 sed mediâ incedebat viâ, eruditâ metho-  
 do sollicitus, ne Juris scientiæ supercili-  
 um imminueret, & cum leonibus, quod  
 dicitur, vulpes congregaret. Utq; Lucili-  
 us Tarentinis, Siculis & Consentinis so-  
 lum scribere se testabatur; ita ille à studio  
 Juris nitidior, tanquam à deorum my-  
 sterijs, profanos omnes vulgusq; imperi-  
 tum arcebat. Atq; hoc erat, quod homi-  
 num animos urebat malè fanos, quorum  
 stomacho literæ & Philosophia, nutrices  
 sapientiæ, in quarum sinu Jurisprudentiæ  
 robur olim crevit, nauseam faciebant:  
 hocq; explodebant, hoc rejiciebant, hoc  
 detur-



deturbabant leguleij infulsi; qui vel præcipiti audaciâ, præteritis fundamentis, statim ad summa festinabant, vel nõ nisi illiteratis literis, disciplinã Juris tradi patiebantur: vel etiam, nihil peccantes levius, vitrea intertexebant gemmis, Atticisq; bellarijs jungebant alliata: similes Arcadibus antiquis, qui glande vesci soliti, meliores fruges aspernabantur, nec ipsi eos dignabantur tangere, nec alijs apponi æquo animo ferebant. Alciatus verò, quẽ transfugam clamabant osores nugigeruli, has nugas theatri magno animo contemnebat, hocq; curabat strenuè, ut legali scientiæ, quam veram, non simulatam philosophiam, præclarè ab Ulpiano dictam noverat, majestatem suam redderet; quod etiam tantã dexteritate præstabat, ut depulsã barbarie, antiquum illum Juris civilis splendorem brevi restitueret, restitutũ copiosè augetet, auctum feliciter amplificaret, amplificatum magis magisq; exornaret. Qua quidem ratione, ut invidorum odium in se concitavit, qui magno conatu magnas nugas agebant, & quod ipsi dare non poterant, ab alijs accipere detrectabant; vel etiam quod imita-

R 5

ri de



ri desperaverant, malebant calumniari: ita vicissim apud cordatè eruditos applausum retulit pulcherrimū, qui omnes singularem meliorum literarū & Philosophiæ cognitionem, in Doctore Juris amabant, mirabantur, suspiciebant, atq; Juris nobilissimæ, de pristino splendore gratulabantur unanimi. Quos inter princeps erat Erasmus, censor omnium dexterimus, qui Alciati eruditionem nunc admirabilem, nunc penè incredibilem publicâ voce extollens, ornamentum ætatis istius eum dicebat præcipuum, & cujus eruditionem DEUS voluerit velut ex edito lucere pluribus. Imò laudem, quam M. Tullius partitur inter Q. Scævola, & M. Crassum; quorum hic dictus est eloquentium Jurisperitissimus, ille Jurisperitorū eloquentissim⁹; totam in hunc unū competere cum eruditè doctis judicabat. Sic Johañes Corasius, Ictus eminentissimus, de Alciato, inquit, viro sumo, & in omne ævū memorabili, nihil unquam tam magnificè dici poterit, quin longè illius lateq; superet virtus, doctrina atq; industria. Tiberius quoq; Decianus, splendidissimi nominis Ictus, Alciato quidem propter

CON-



controversiam quandam, de conscriben-  
dis consilijs, non nihil infensus, vi tamen  
veritatis coactus, hac laude eum conde-  
coravit, quòd esset homo amoeni & flori-  
di ingenij, qui elegantiam, stylum, anti-  
quitates & humaniora studia, in scholas  
nostras Juris civilis apportasset, quiq; ad  
hanc disciplinam, severiorem quidem &  
inamoenam, ( quod vulgo tunc videba-  
tur ) tamen orationis nitore & elegantiâ  
animos allicere nosset, & ob hoc ipsum,  
arcem gloriæ ætate suâ tenuisset. Hinc de  
eodem nostro præclarè quoq; non ita  
pridem pronuntiavit Lipsij successor feli-  
cissimus; aut, ut rectius dicam, Lipsius re-  
divivus, Erycius Puteanus, Hispaniarum  
regis historiographus gravissimus; cùm e-  
um Insubrem magnum appellavit; cu-  
jus nomen apud omnes merito sit ma-  
gnum, & cujus libri ac scripta vicisse secu-  
lum videantur; quiq; ICTus maximus,  
non inconcinnus quoq; fuerit Historicus.  
Et certè, talem vel ex fragmento illo, de  
formulâ Romani Imperij, ceu ex ungue  
leonem, cognoscere licet. Tot igitur tan-  
tisq; elogijs fulgentem pariter ac muni-  
tum Alciatum, à barbaris legum sectato-  
ribus

(15)



ribus pro transfugâ habitum, quis obsecro non rideat dicam, an indignetur? aut quis etiam imperitos istos Juris perditos, cum rectâ ratione ambitiosè insanientes, plorare & foenum esse non jubeat? Operæ pretium heic puto, Auditores, narrare vobis, quàm turpiter amentiam suam prodiderint obtrectatores malè feriati, qui Mediolanensi nostro tam gravem dicam scribere præsumebant; & quidem verbis ipsiusmet. Redierat à Transalpinis doctor quidam novellus, qui pro suggestu legum interpretationem aggressus, aliter à se legum nodos intelligi, quàm ab Alciato, dicebat: ille enim, inquit, nihil aliud facit, quàm quòd floreat jura. Facundus scil. vir, etiam novo verbo civitatem Romanam augere volebat. Sed aderant docti quidam, qui hisce auditis, seu hominis arrogantiam perosi, seu risus captandi causâ, cum sententiam rogarentur, ita decreverunt: quæ Alciatus floreat, iste oletat. Nimirum asino carduos comedente, similem habebant labra lactucam. Sanè, qui sic instituuntur Juris studiosi, non magis sapere possunt, (quod Petronij, mellitissimi scriptoris, simile est)

est)



est) quàm benè olere, qui in culinâ habitant. Alij verò cùm aliud nihil haberent, quod in novo Doctore legum, non prudentiâ minus quàm elegantiâ conspicuo, reprehenderent, vel hoc arrodabant, quòd in margine potius, quàm in contextu allegationes Juris scriberet. Novū crimen scilicet C. Cæsar: quod ille, ut erat factus, ita diluit: Erat, inquit, ætate suâ celeberrimus pictor, nomine Pauson Sicyonius. Is accepto precio equum conduxerat pingendum, qui se humi volutaret. Cùm verò locatori currentem exhibuisset, & quidem pulvere oppletum; isq; expostularet, nequaquam secundum legem conventionis præstitam sibi operam; inquit ministro ille: age puer, tabulam inverte, sicq; picturam oculis ejus exhibe. Quo facto, vidit locator emendatum esse, quod sibi displicebat, nullumq; amplius esse querimonix locum: cernere enim erat equum in tergum jacentem, seq; in pulvere volutantem. Sanè lepidum schema, quo commenta vel gerris Siculis vaniora, eludebat vir ad joca seriaq; factus. Sed non abs re erit, cum primis veterum exempla intueri, quorum auctoritate

tate



tate à tam gravi injuriæ notâ, reum innocentem vindicare licet: M. Crassi, inquâ, Scævolaë utriusq;, Antistij Labeonis, Servij Sulpitij, Herennij Modestini, Papiniani, Ulpiani, Juliani, aliorumq; istius subfelliij primi quàm plurimorum. Atq; de Crasso quidem & Q. Scævola, jam supra diximus ex Cicerone: quibus nunc addendum, quæ de Scævola quoq; Servilio memorant Historiæ; nempè, eum ob insignem eruditionis elegantiam, quam legum scientiæ junxerat, à M. Antonino Imperatore non tantùm habitum fuisse in consilio, sed & Commodo filio præceptorem datum; idemq; factitatum quoq; postea ab Alexandro. De Labeone verò verba audite Gellij, notatu dignissima: *Labeo, inquit, Antistius Juris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de Jure publicè responsitavit. Cæterarum quoq; bonarum artium non expers fuit: literasq; antiquiores altioresq; penetraverat: Latinarumq; vocum origines rationesq; percalluerat: eaq; præcipuè scientiâ ad enodandos plerosq; Juris laqueos utebatur.* Sic de Sulpitio testatur Tullius, apud cæteros Jureconsultos



tos magnum fuisse usum, artem in hoc u-  
no; eumq; ideò reliquis omnibus fuisse  
superiorem ( audite, per Gratias, ob-  
secro ) quod Jurisprudentiæ adjunxerit  
& Dialecticam, artem omnium artium,  
maximam, & literarum scientiam, & lo-  
quendi elegantiam. De Modestino verò  
illud constat, eum non tantùm dissertasse  
Græcè, sed & periochen in Virgilium,  
composuisse. Quàm eleganti dexterita-  
te in literis humanioribus & philosophiâ  
eruditus fuerit Papinianus, Ictorum lu-  
men splendidissimum, nemo ignorat,  
nisi vilissimæ istæ animæ, quæ noctua-  
rum instar altâ in luce cæcutientes, Juris-  
prudentiæ claritudinem, infaustâ artium  
& philosophiæ ignorantia, superiori ævo  
perniciosè obfuscarunt, & melioris lite-  
raturæ caligine ipsum terrarum orbem,  
tenebris damnarunt miserrimè: ita qui-  
dem, ut contumaci simul inscitæ suæ cœ-  
no, ipsos lucidissimos Justitiæ fontes spur-  
cissimè cõtaminarint. In Ulpiano quanta  
non tantum peritia differendi, aliarumq;  
humaniorum disciplinarũ cognitio, sed  
Philosophiæ etiam sublimioris fuerit sci-  
entia, methodus ipsius optima convincit;  
qua



qua præter concinnam ordinis observa-  
 tionem, & vocum annotationem accura-  
 tam, definitiones rerum investigare, res i-  
 pſas in ſpecies ſeu partes ſuas deducere,  
 easq; ſingulatim exponere; atq; ſic ob-  
 ſcura perſpicuè explicare, difficilia cog-  
 nitu plana atq; facilia reddere, & quæ dubia  
 ſunt, rationibus cauſiſq; confirmare tam  
 dextrè conſuevit, ut neſcias, doctioremne  
 Philoſophum, an æquiores Ictum lau-  
 dare eum debeas. De Juliano fidem no-  
 bis facere poteſt, vel unicum illud veſtigi-  
 um, quod ex libro ipſius ſingulari, de am-  
 biguitatibus, Pandectis noſtris inſertum  
 habem⁹: ubi de orationib⁹ quæ pugnan-  
 tia continent, quomodo ſimul veræ aut  
 falſæ eſſe poſſint, vel non? tam accuratè  
 reſpondet, ut nō niſi ex Ariſtotelis libro,  
*περὶ ἐπιμνηſίας*, deſumpta dici, neq; citra A-  
 riſtotelis opem rectè intelligi à quoquam  
 poſſint. Et quis tam brevi temporis ſpa-  
 tio, quo circumſcriptum me recordor,  
 omnes Jureconſultos antiquos, elegan-  
 tioribus diſciplinis ornatiffimos, recen-  
 ſeat? quorum reſponſis, ceu gemmulis,  
 Pandectarū libri creberrimè reſpergun-  
 tur, ita ut Ariſtoteles, Plato, Solon, Theo-  
 phraſtus,

sup

phraſtus,



phraftus, Hippocrates, Chrysippus, Homerus, Demosthenes, Cicero Seneca, sapius illis legantur allegati. His igitur concolorari voluit Alciatus, Jureconsultus supra vulgus sapiens, horum vestigia sequutus est felicissimè, hos unicè imitandos sibi proposuit: non tantùm cùm leges interpretabatur studiosis, quod tantâ faciebat diligentiam, ut sæpè clepsydras duplicaret: sed etiam cùm responsa dabat clientibus; quæ itidem tantâ dexteritate suppeditabat, tanto acumine ac judicio conficiebat, tantâ argumentorum vi, tam abstrusâ eruditione, tantâq; doctrinâ exornabat, ut quæcunq; etiam celebratissimorum aut superare, aut certè æquare, videantur. Idq; vel ideò, quod cùm aliorum consilia sylvosissima, magnâ citationum pompâ in utramq; partem turgescant, hujus responsa, quæ nonnulli habent instar omnium, causæ jugulum petant ilicò, & citra Syreneos scopulos, rectâ justitiæ portum commonstrent. Neq; verò infructuosa fuit Icto incomparabili, hæc docendi ac respondendi methodus omnium optima; ne quis fortè frustra eum eruditum fuisse putet. Cùm e-

S

nim



nim primùm Avenioni cathedrã ascenderet, stipendium accipiebat sexcentorum aureorum; sicq; ætate longè impar, senioribus tamen æquabatur. Deinde in Biturigibus secundo quàm eò venerat anno, duplicatum merebatur honorarium, aureos mille & ducentos: quã prærogativã ut etiam præceptorem suum, Jasonem Maynum, superavit, qui millenos duntaxat à Ludovico Sfortiã percipiebat: ita doctrinã quoq; & ingenio eidem lampada, quod dicitur, è manu eripuit; adeò ut de nullo verius dici posse videatur senarius Græcorum, quem Cicero laudat ad Varronem: πολλοὶ μαθητῶν κρείττους διδασκάλων. Præter stipendia verò ista amplissima, honorem quoq; singularem reportavit transfuga noster, si dijs placet; quem rectius albæ gallinæ dicas filium: utpote quem ipse rex Galliarum Franciscus Valesius, tanti æstimavit, ut lectionem ipsius publicam augustã præsentiam suã exornare non detrectaverit. Et quanti, obsecro, putatis illud, quòd Philippus Austriacus, Hispaniarum & Neapolis rex inclytissimus, cùm ad urbem Ticinensem appulisset, ubi tunc Senatoriã quoq; dignitate

gignitate



gnitate fulgebat Alciatus, eum continuo acciri ad se mandavit, & benigno vultu exceptum sic prior est affatus: miro equidem, literatissime Alciate, visendi Italiam desiderio tenebar, ut te quoq; , quem jam dudum ex celebri famâ, editisq; monumentis cognitum habeo, de facie noscerem, presentem intuerer, alloquerer: lætus ergo nunc te video, & amanter amplector, ultroq; tibi ea omnia prolixè polliceor, quæ à beneficentissimo rege tua maxima virtus expectare debet. Eant nunc mortales isti, odio & invidiâ bis miseri, & fastidioso supercilio pro transfuga habeant illum, cui etiam reges fasces suos submiserunt; & quem saniores quiq; certatim amore, laudibus, præmijs; honorare, efferre, exornare gloriosum sibi duxerunt. Quod certè nunquam factum fuisset, nisi ille disciplinam Juris peculiari elegantia, ex literarum & Philosophiæ penu, præ alijs cõdecorasset. Ut verò hoc ipsum cognoscatis penitus, Auditores, in rem presentem, antequam finem faciam, veniatis curabo; ita tamen, ut succinctâ exemplorum commemoratione efficiam, ne audiendi tædium obrepat. Nemo

S 2

nescit,



nescit, legibus nostris, præsertim Pandectarum, plurima Græca esse intermixta, ita ut linguæ istius cognitio, omnibus legum studiosis apprimè sit necessaria. In eorum interpretatione quantum hallucinati sint ante Alciatum, rudiorum interpretum vulgus, vix credi posset, nisi eorum scripta extarent publicè. Exempli causâ, antichresin apud Marcianum, ante Alciati commentaria, omnes dixerunt idem esse (risum tenete amici) quod antiphonam. Sic cùm Ulpianus docet, bonorum possessionem secundum tabulas peti posse, si quis testatus sit in opistographo, Accursius nugatur, opistographum dici ab opibus & scripturâ; somnians Ulpianum dicere voluisse, quasi scripturam opum suarum. *Scilicet hoc Itacus velit, & magno mercentur Atrida.* Sic cùm Scævola respondet de fideicommissio quodam annuo, quod testator reliquerat sacerdoti & hierophylaco, Accursius hariolatur, hierophylaco nomen esse vel capellæ, vel loci, ubi est capella; Eâdem planè elegantia, quâ conspurcavit titulum Familiæ herciscundæ Latinissimum; ne quis eum in Græcis tantùm fabulosum autumet: ubi igno-

igno-



ignorans, quid apud Ciceronem, aliosq; autores Latinos, sit herciscere: hæc rubrica, inquit, fortè est vox Græca: quo pallio aliàs quoq; non rarò ignorantia suæ turpitudinẽ obtegere consuevit. Et alibi, Syndicum in jure appellari ideò, quia dicat singula. O deliramenta interpretis nulli febricitantium secunda! Et tamen hic vervex cum nolâ, quem sequitur errantium grex omnis, se ideò Accursium, appellatum jactitare audet, quòd accurrat & succurrat contra tenebras Juris civilis. Quasi verò illum tenebras dispellere credendum sit, qui tenebris plusquàm Cimmerijs lucidissima obfuscat; & quem ipse Baldus, asylum Pragmaticorũ glosas non semel deditâ operâ obscurasse queritur. Credite mihi, Auditores, integræ aliquot horæ, enarrandis tantùm ineptijs Accursianis non sufficerent, quibus rerum vocabula ignorans, & dictionarijs sordidissimis adhærens, ex arbore facit, quadrupedem, è gemmâ piscem, è citharædo fluvium, ex oppido fruticem, è sidere avem, ex brassicâ braccam. Ut nunc taceam fabulam illam, tam ridiculã quàm falsam, qua leges Græcorum à legatis Romanis,



manis, stulto interveniente, obtentas ita affirmavit, ut cæteris quoq; doctoribus, cùm meliorum doctrinarum essent inermes, ansam errandi dederit. Neq; meliora sunt comēta Bartoli, quem vulgus Doctorum lucernam Juris, Antonius verò Goveanus, Jctus Hispanus (alijs omnibus palmam præripiens) magistrum Juris appellat pessimum; de quo nunc ob temporis angustia, hoc tantùm percipite. In explicatione Digesti novi, quod vocant, Bartolus ille signifer, quem habet vulgus: idè, inquit, appellari potest novum, quia novum significat iniquum, iniquum verò, quia punit iniqua. At quis hoc ferat in puero, qui nondum ære est lavatus, aut qui manum ferulæ nondum subduxit, quod tam excelsi Doctores legum, pro commentarijs nobis obtrudunt? Cujus monetæ est etiam illud, Ulpianum floruisse trecentis annis ante Christum natum. Sed aliud adhuc audite suavius. Cùm Ulpianus nos docet, jus dicentis esse latissimū; Bartolus Accursio quasi exprobrans, quod illud verbum sicco præterisset pede; quæro, inquit, ex glossâ, quare dixit latissimum, & non longissimum? & cum

alius



alius quidam, æquè ineptus, respondisset, quia sapientia consistit in latitudine, & nō in longitudine; nam rarò longus invenitur sapiens: Bartolus, censor scil. subtilis, hæc solutio, inquit, displicebat Cyno, quia ipse multum erat longus. Ipse igitur meliorem affert, scilicet: Tu dic, inquit, quod ideò dicit latissimum, quia officium Judicis nō habet longitudinē corporalē. O lepidos cæcorū duces, vel Tiresiā talpivē cæciores, quos omnes in foveam cadere simul, ecquis non risu excipiat? Quanquam dubitari potest, Auditores, majorēne risu, an indignatione, ejusmodi commenta accipere liceat. Certè non desunt viri eruditione & prudentiā clarissimi, qui elegantias istas Bæoticas, & suaviter rident, & indignantur maxime. Ita enim Udalricus Zasius, Germaniæ Jctorum princeps, Alciato familiaris (qui merito Germanis nobis est, quod Italis suis Alciatus, & Budæus Gallicis) ingenuè fatetur, se risum cohibere non potuisse, cū illam Accursij glossam legeret; quā tribum, quam apud Scævollam patron<sup>o</sup> quidā, liberto emi legaverat, interpretatur progeniē fervorū; cum hac



additione, sicut dicimus, ex tribu Nephthalim. Atqui rectius illum dicas ex tribu ignorantiae, ne quid nobis excidat liberius. Indignationem verò si quis petit, ei Scipionem nostrum Gentilem p. m. dabo, qui in Epistola quadam ad Cunradum Rittershusium, (quæ præceptorum nostrorum, quàm præstantissimè de hac Academia meritorum nomina, nunquam sine veneratione usurpare debemus) in epistola, inquam, ante annos quinq; & triginta typis excusa, ita scribit: *Carmen tuum bis legi raptim, & quod petis tibi remittor. Nihil opportunius ad extergendas molestias; imò morsus quosdam animi, qui ex spinissimis quibusdam glossematis Accursij & Bartoliherent mihi. Vide quibus nebulonibus tam bonos dies impenderit. Audite, indignationis fervore nebulones vocat, qui non tantùm bonas horas lectori malè suffurantur, sed etiam animum molestiâ afficiunt molestissimâ. Sed dicat aliquis: Tune ergò omninò rejicis Doctores istos maximos, quos alij ut DEOS adorant, & qui in foro tam diu utramq; paginam faciunt? Absit, Auditores, ut quantum ad notitiam Juris, rejiciendos existimem omninò:*

omninò:



mninò : sed illud bonâ fide moneo , ne quis illorum exemplo fretus, absq; literarum & Philosophiæ cognitione, ad venerandam illam dominam, Jurisprudentiam, Rerumpublicarum moderatricem, à coelo mortalibus datam, velut turpiter nudus accedat. Multò minùs pro transfugis habeat, qui Alciati ejusq; similium vestigia premunt; sed huic potius, quàm illis, in legum quidem enodatione industrijs, sed temporum ignorantia magis quàm suâ lapsis, conformandum se tradat. Illorum verò libros ita legat, quemadmodum Virgilius ex Ennij stercorebus aurum, & Horatius ex luto Pacuvij gemmas dicuntur conquissivisse. Id quod præclare Nicolaus Cisnerus, Electoris Palatini Consiliarius, & Assessor supremi in Imperio Judicij eruditissimus, in epistola quadam ad Philippū & Antonium Geudereros, nobilissimos Reipublicæ nostræ quondam Senatores, An. M. D. L. X. X. V. scripsit. Possem heic latius in Philosophiæ campum excurrere, & verissimè à M. Tullio dictum esse, vel uno Alciati exemplo (quo nemo definitiones, quas in Jure habemus passim, ad limam Dialecticorum

S 5

accur-



accuratius revocavit) ad oculum demon-  
strare, non à prætoris edicto, aut à XII. ta-  
bulis, ut pleriq; putant; sed penitus ex in-  
tima Philosophia hauriendam esse disci-  
plinam Juris; & qui aliter jus civile tra-  
dunt, (quod idem rectissimè pronuncia-  
vit Tullius) non tam Justitiæ, quàm liti-  
gandi tradere vias. Quod sapientissimi o-  
ratoris oraculum probè, ut omnia, intel-  
ligens divini ingenij vir J. C. Scaliger, in  
epistola ad Sylvium filium, qua viam per-  
veniendi ad eruditionem solidam, omni-  
um dexterrimè monstravit, ita inter cæ-  
tera scribit: *post cognitâ Latinâ linguâ  
caussas, consequens fuit, ut ad Dialecticam  
atq; Oratoriam te ipsum accingeres: ne absq;  
nitida mundaq; supellectile, te ipsum inferres  
in sacrosancta templa Jurisprudentiæ; qua  
ut ad humani generis conjunctionem atq; æ-  
quabilitatem instituta fuit; ita neutiquam  
sita est, in nudis opinionibus, aut in pertina-  
cia potius, numero ve, quàm in pondere soli-  
ditateq; sententiarum.* Profectò vera Phi-  
losophiæ divina soboles (eiusdem viri illu-  
strissimi verba agnoscitis, omnium ani-  
mis iterum iterumq; inculcanda) *profe-  
ctò vera Philosophiæ divina soboles,* (Juris-  
pruden-



prudentia) absq; orbe illo scientiarum abortiva est. O monitum trabali clavo memoriae figendum! quod maximi parentis gravissimum iudicium filius maximus, Iosephus, elegiâ in obitum Christophori Thuani, Senatus principis, ita expressit:  
*Languet in incultis animis prudentia legum:  
 Sensibus instructis acrior illa subit.*

Et abundantius, spiritu verè Heroico, ad Puteanos fratres, Claudij filios:

*Ut rectore carens, & nullo remige tuta,  
 Ludibrium venti puppis jactatur in undis:  
 Sic quicumq; subit Themidis sacraria, Mystes  
 Lucis egens nostra, cunctisq; paratibus orbis,  
 Quos munire solent pueris discentibus artes:  
 Exclusos commissa luet, quod mente profana  
 Juris inaccessis posuit vestigia luco:  
 Et nunquam visus adytis immittet operis.*

Atq; in hanc sententiam, omnium optimam longè pulcherrimamq;, pedibus & mente ivit, præter Alciatū nostrum, supra laudatus Zasius, qui eam non verbis tantū, sed exemplo quoq; probavit memorabili, quodq; omnes imitetur dignissimo. Is enim cum primis ( ut Fabros, Cujacios, Duarenos, Hotomannos, Donellos, Giphianos, Gothofredos, Gæddeos, Pacios,  
 Vul-



Vulteios, aliosq; similis præstantiæ atq; splendoris jurium magistros excellentissimos, brevitatis causâ nunc omittam, ) et si provectâ demùm ætate, nempe post annum trigessimum, Jus civile addiscere cœpit; tamen decus Germaniæ nostræ hodieq; celebratur summum, olim ob elegantio rem Juris eruditionem Erasmo, Alciato, Pirckheimero, at quantis viris? charissimus. Quin & ipsi Ferdinando Cæsari, qui eum privilegio donavit amplissimo, per acceptus, cujus hæc audite verba, albo memoranda lapillo: *quomodo, inquit, qui nullas Philosophiæ partes cognovit, qui nec Dialectices rationes, nec ullam elegantis Latine rei cognitionem unquam habuit, quin etiam omnium optimarum disciplinarum ignarus, quæstuaris quædam fori vaframenta ex Speculatore, vulgatisq; commentarijs conquirit, quomodo, inquam, is Jurisperitus rectè nominabitur? vel quomodo illustres illos Jureconsultos, omnium prope modum doctrinarum eruditione claros tractabit? Quomodo in legibus ex veritate colligendis versabitur, cui, si à vulgatis istis Salicetis, Curtijs & alijs id genus commentatoribus discesserit, cum optimis literis nihil*

com.



*commune fuerit ? Quàm putas ingenti lau-*  
*de utrosq; Socinos & Jasonem predicari con-*  
*veniat, qui cùm sint Juris cognitione illu-*  
*stres, in alijs tamen optimis scientijs, cum so-*  
*lidâ eruditione sunt versati, & quæ sequun-*  
*tur. Quam rariorem summi Doctores*  
*sententiam, cùm plenius imbibisset di-*  
*scipulus genuinus, Johannes Sichardus,*  
*qui serius quidem & ipse ad Juris studia*  
*accessit; sed animo prius literarum &*  
*Philosophiæ doctrinis feliciter exculto;*  
*biennio plus profecit, quàm decennio a-*  
*lij; tantusq; evasit Jureconsultus, ut cùm*  
*primùm ageret professorem & consilia-*  
*rium Wirrttenbergensem, postea ab Am-*  
*plissimo Senatu Noribergensi ad munus*  
*Advocati Reipublicæ; deinde à Carolo*  
*V. Imperatore ad officium Assessoris Ju-*  
*dicij Imperialis, honorificè invitatus fue-*  
*rit: quam utramq; tamen vocationem,*  
*vitæ assuetus Academicæ, modestè recu-*  
*savit, opere luculento admodum ac per-*  
*polito in leges Codicis relicto. Post hos*  
*verò Jureconsultos admodum insignes,*  
*Germanos, Italos, Gallos, accuratissimè*  
*omnium (liberè dico) Philosophiam*  
*percalluit Christophorus Ehemius, patri-*  
cius



cus Augustanus, primum Organi Aristotelici Tubingæ, deinde Heidelbergæ Juris civilis professor longè præstantissimus; quem tandem Fridericus III. Elector Palatinus, ad summum honoris fastigium, Cancellarij munere ei demandato, evexit: cujus septem extant libri, de principijs Juris, verè aurei; tantæ eruditionis & scientiæ, quâ Juris quâ philosophiæ, ut nemo felicius Aristotelem junxerit Papiniano. Palàm esse arbitror, Auditores, quot & quantis veterum & recentiorum exemplis, præter rationum pondera, causam Alciati nostri tueri liceat. Sed sistendum mihi esse gradum animadverto, neq; fas esse, tempus morari diutius, aut longius aliena repetere: cùm hic ipse dies exemplum vivum causæ nostræ exhibeat; quando coràm JOHANNEM KOBIVM, professorem Philosophiæ publicum, ut serius, ita exactius Juris insignia ambientem oculis usurpamus. Macte hac gloria, Philosophiæ Magister clarissime, Jurium Candidate sine pari, & quod in Philosophia hætenus, cum laude singulari, Athenæo nostro per annos septendecim præstitisti, posthac in arte Juris quoq; ,  
Numine

213



mine propicio, demonstrandum tibi cogita. Quod eò quidem libentius auguror, quia ut olim Valentinianus Cæsar, propter Gothorum in Italiam ingressum, raritatem Jurisperitorum magnâ querimoniâ deploravit : ita haud frustra verendum nobis videatur, ne infelicissimi belli diuturnitas in Germania, post alias calamitates plurimas maximasq; etiam nos tandem simili penuriâ malè mulctet.

Ad vos igitur nunc transeo, Decani spectatissimi, amici pl. honorandi, Tibiq; Cl. & Consultissime Dn. D. NICOLAE RITTERSHUSI, magni parentis digna progenies, Antecessor & Cõsiliarie, propriâ non minus laude, quàm patris adventitiâ conspicue, ut professorem istum Logices & primæ Philosophiæ eximium, *Dn. Johannem Kobium Hilperhusanum, Francum*, amicum nostrum non è multis, Doctorem Juris utriusq; : Tibi verò, Cl. & experientissime Dn. D. HOFMANNE, Medicinæ professor celeberrime, ut præstantissimū *Dn. Johannem Gerlachium Reutlingensem*, artis Medicæ Candidatum eruditissimum Doctorem Medicinæ, cum prius ambo sacramentum solenne præstiterint,

rint,



rint, publicè renunciatis, illisq; artium  
 suarum honores, privilegia & immunita-  
 tes, quibus Universitas nostra Augustissi-  
 morum Imperatorū &c. favore gaudet,  
 præmia meritissima tribuatis, ita adstipu-  
 lantibus Nobilissimis Curatorib<sup>9</sup>, ex mu-  
 nere mihi demando, lubens meritoq;  
 concedo. Ut verò de Alciato loqui sum  
 exorsus, eumq; Juris transfugam vulgò  
 licet habitum, tamen Jurisprudentiâ Mu-  
 cio Scævolaë, elocutione oratoriâ M. Ci-  
 ceroni, ratione differendi Stagiritæ Phi-  
 losopho comparandum in mediū pro-  
 duxi: ita cum eodem vota ad DEUM spi-  
 rans finio; cui renunciationes Doctorum,  
 si quas peragebat, hoc quasi sigillo Pieta-  
 tis obsignare solenne fuit:

*Restat ut æternus genitor mea vota secundet  
 Atq; hac felici sidere facta velit.*

D I X I.

DECADIS ORATIONUM FINIS.



ALLE



## ALLEGATIONES.



## ALLEGATIONES.

**U**m populus studiosorum, cui noster hic labor potissimum militat, illos libros libentius evolvant, quibus allegationes interspersas vident: hoc autem in Orationibus commodè fieri nec possit nec soleat; quod quidem & antiquorum & recentiorum ducū exempla, quos sequendos putavimus, neminem ignorare sinunt: nos tamen & hac in re multorum desiderio satisfacere cupientes, heic quasi appendicis loco, potiores allegationes (omnes enim neque necesse est, nec quisquam exigit) quomodocumque subicere non detrectavimus. Videant igitur, qui volunt,

### AD ORATIONEM I.

*Cic. lib. 1. de Orat. Item in Verr. act. 1. Item Philipp. 9. Item pro Balb. Et pro Muren. Et pro Rabir. Item lib. 1. de divinac. Item lib. 6. Epist. fam. 7. Et lib. 4. Epist. 5. Plutarch. in Cic. Item in Demosth. Juvenal. sat. 10. Ælian. lib. 8. cap. 12. Diog. Laërt. lib.*

T

lib.



## ALLEGATIONES.

*lib. 5. in Theophrasto. Plin. lib. 9. Epist. 26. Et  
 in Panegyri. Trajan. Item Panegyri. Constant.  
 Item Auson. grat. act. ad Gratian. Imper. Vell.  
 Paterc. lib. 2. hist. cap. 131. Buda. Annotat. in  
 Pand. tit. de off. praefect. praet. Auson. ad Theo-  
 dos. Phil. Melanchth. declam. vol. 1. Querel.  
 Laz. p. 66. Justinian. in l. 2. de off. praef. praet.  
 Afr. Et Novell. 6. Tacit. 13. annal. cap. 54. Et  
 de morib. Germ. cap. 2. II. 14. 33. Et in vit. C.  
 Jul. Agric. cap. 12. 31. Sabin. lib. 3. eleg. 12. E-  
 rasmi. tom. 5. pag. 1015. & seqq. Ad illud, quod  
 de metu Oratorum, in principio Orationis I.  
 habetur, observari debet, eum prodesse magis,  
 quam obesse: de quo ita C. Plinius lib. 7. Epist.  
 17. quod M. Cicero de stylo, ego de metu  
 sentio. Timor est emendator acerrimus:  
 hoc ipsum quod nos recitatuos cogita-  
 mus, emendat: quod auditorium ingredi-  
 mur, emendat: quod pallemus, horresci-  
 m<sup>9</sup>, circumspicim<sup>9</sup>, emendat. Hinc in dia-  
 logo de Oratorib. quem vulgus Tacito, viri do-  
 cti Quintiliano adscribunt, laudatur Orator,  
 qui novam & recentem curam non sine aliqua  
 trepidatione animi affert. Latinus Pacatus,  
 Orator eloquentissimus, quomodo trepidavit  
 apud Theodosium Imperatorem dicturus, vid.  
 ejus Panegyri. in pr. Querelam verò de misero  
 statu*



## ALLEGATIONES.

*statu Germania, quem Oratio deplorat, novā non esse, vel ex epistolā illā, quam Martinus Meyr, Cancellarius quondā Electoris Moguntini, ad Æneam Sylvium Cardinalē, An. 1457. scripsit, videre licet, illis verbis: Natio nostra (Germanica) quondam inclyta, quæ suā virtute suoq; sanguine Romanum imperium coëmit, fuitq; mundi domina & regina, nunc ad inopiam redacta, ancilla & tributaria facta est, & in squalore jacens, suam fortunam, suam pauperiem multos annos moeret. Apud Goldast, Politic. Imperial. part. 23. n. 2. pag. 1039.*

## AD ORATIONEM II.

*Vid. Buchan. lib. 5. hist. Scot. § lib. 10. Cic. lib. 5. de fin. Et in Verr. act. 6. Val. Max. lib. 8. cap. 7. Plin. lib. 6. Epist. 16. Luc. 9. v. 23. Salom. Ecclesiast. 7. vers. 10. Et ibi Cl. Remi nostri p. m. Spicileg. Plin. lib. 6. Epist. 21. Diog. Laërt. lib. 5. in Aristot. Senec. consol. ad Helviam. Plin. lib. 8. Epist. 19. Cic. 1. de Orat. Et lib. 5. Tuscul. Et lib. 12. Epist. fam. 13. Ælian. lib. 2. cap. 10. Et lib. 3. cap. 17. Plin. lib. 7. Histor. nat. cap. 30. Plat. in apolog. Socrat. Cic. lib. 2. de Orat. L. 67. ff. de legat. 2. L. fin. C. de repud. L. 11. C. de*



## ALLEGATIONES.

*his quib. ut indign. Phil. Melanch. præf. in Alfr. vol. 2. declam. pag. 129. 133. Just. Lips. præfat. de Cruc. Arist. lib. 8. Ethic. cap. ult. Et lib. 9. cap. 1.*

### AD ORATIONEM III.

*Vid. Senec. Trag. Thyest. Polyb. lib. 4. 5. 8. & 13. Liv. lib. 31. Curt. lib. 7. & 8. 2. Reg. 3. & 20. Et 3. Reg. 2. Tacit. lib. 1. & 3. histor. Et lib. 4. annal. Dio lib. 58. Senec. de tranquill. anim. cap. 11. Val. Max. lib. 6. cap. 9. Et lib. 9. cap. 11. Juvenal. sat. 10. Tacit. lib. 14. annal. cap. 57. Et lib. 1. Histor. cap. 72. Dio lib. 75. & 76. Herodian. lib. 1. Spartian. invit. Adrian. Pierre Matthieu Histoire de Henry IV. liu. 2. & 5. Buchan. Histor. Scot. lib. 17. Thuan. lib. 9. Et lib. 43. Et lib. 128. Et continuat. lib. 10. Comina. lib. 6. Auson. Epigram. 8. Tacit. l. 1. annal. cap. 74. Plutarch. in Lucull. Senec. lib. 6. de benefic. cap. 33. Et de tranquillit. anim. cap. 12. Zas. ad l. 2. §. post hunc 47. ff. de orig. jur. Horat. lib. 2. od. 10. Tacit. 2. Histor. cap. 74. Liv. lib. 30. c. 30. Tacit. 3. annal. cap. 30. Georg. Fabrit. victor. cælest. His omninò add. Lips. innotis ad lib. 3. polit. c. XI. in fin. ubi Principes laudat Austriacos, quod patientes sint ministrorum suorum, & ad extremum mites.*

A D



## ALLEGATIONES.

### AD ORATIONEM IV.

*Vid. Scipion, Gentil, Orat. in tract. de  
 conjur. pag. 270. Cic. lib. 11. Epist. fam. 28.  
 Et lib. 2. ad Attic. Epist. 5. Item in Lelio.  
 Et lib. 9. ad Attic. Epist. 12. Et lib. 7. Epist.  
 fam. 15. Sueton. in vit. Jul. cap. 52. Plin. lib. 12.  
 hist. nat. cap. 2. & lib. 15. cap. 14. Gell. lib. 10.  
 cap. 24. Cic. pro Muren. Item pro Planc. I-  
 tē pro Sylla. Lucan. lib. 7. Vell. Paterc. lib. 2.  
 cap. 62. & 66. Plin. lib. 7. cap. 30. Plutarch.  
 in Cic. Senec. Orat. suasor. 6. Lipsi. in not.  
 ad Vell. Paterc. lib. 2. cap. 128. Am. Marcell.  
 lib. 30. Val. Max. lib. 4. cap. 2. Muret. lib. 5.  
 var. lect. cap. 11. Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 6.  
 ibi : ἀμφοῖν γὰρ ὄντων φίλων, ὅσιον προλιμᾶν  
 τὴν ἀλήθειαν. Erasmi. 4. apoph. 32. Zas. ad  
 l. 2. §. ab hoc. n. 17. Et §. post hos quoq.  
 46. n. 14. ff. de orig. jur. cum primis verò  
 vid. Cic. lib. 2. Epist. fam. 17. Et lib. 6. Epist.  
 fam. 6. Et lib. 7. Epist. fam. 3. Et lib. 8. E-  
 pist. fam. 3. Et lib. 9. Epist. fam. 14. Et lib.  
 10. Epist. fam. 6. 10. & 28. Et lib. 16. Epist.  
 fam. 10. Item lib. 1. ad Attic. Epist. 19. Et lib.  
 2. ad Attic. Ep. 19. Et lib. 7. ad Attic. Epist. 6.  
 7. 9. 11. 19. & 20. Et lib. 8. ad Attic. Epist. 2.  
 3. 9. 11. 12. 13. 14. 15. & 23. Et lib. 9. ad Attic.  
 Epist. 11. 12. 13. Et lib. 10. ad Attic. Epist. 3.*

T 3

4. 5. 6.



## ALLEGATIONES.

4.5.6. § 13. Et lib. 11. ad Attic. Epist. 8. 9. 10. 11.  
 12. 13. Item pro M. Marcello. Pro Q. Ligar.  
 Pro rege Dejotar. Philipp. 2. Ad Brutum  
 Epist. 13. 14. 15. 16. Item lib. 1. de nat. Deor.  
 Et lib. 1. de Offic. Vell. Paterc. lib. 2. cap. 50.  
 Jul. Cas. lib. 1. § 2. de bell. civ. Item de bell.  
 Alex. Flor. lib. 4. cap. 2. Joseph. lib. 11. An-  
 tiq. Jud. cap. 8. Liv. lib. 36. cap. 5. 6. § 35.  
 Et lib. 44. cap. 14. § 15. Et lib. 45. cap. 23.  
 Tacit. lib. 12. annal. cap. 13. ubi vid. Lips. §  
 Freinshem. in notis, qui pro, Juliates, rectè  
 legunt Ezates sive Izates. Comina. lib. 4.  
 § 6. Item lib. 4. de bell. Neapol. Thuan. lib.  
 4. 8. § 10.

### AD ORATIONEM V.

Vid. Dionys. Halicarnas. lib. 9. hist. Rom.  
 Thucyd. lib. 3. Senec. Ep. 45. § 120. Horat. 1.  
 Serm. 3. Juvenal. sat. 14. Gell. lib. 2. cap. 12.  
 Polyb. lib. 4. Liv. lib. 8. cap. 13. Et lib. 9.  
 cap. 3. § seqq. Et lib. 32. cap. 21. § seqq. Et  
 lib. 35. cap. 48. § seqq. Tacit. in vit. C. Jul.  
 Agricol. c. 7. Et lib. 3. histor. cap. 40. Judic.  
 cap. 18. § 21. Bodin. lib. 5. de Republ. cap. 6.  
 Cic. lib. 2. Epist. fam. 16. Et lib. 4. Epist. fam.  
 9. Et lib. 9. ad Attic. Epist. 4. Et lib. 10. ad At-  
 tic. Epist. 8. Vell. Paterc. lib. 2. cap. 50. 63. 74.  
 § 86. Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 10. Thuan.  
 lib. 56.



## ALLEGATIONES.

lib. 56. Et lib. 30. Diog. Laert. lib. 1. in Solon.  
 Plin. lib. 18. cap. 3. Martial. 1. Epigram. ad  
 Flacc. Justinian. Novell. 105. in pr.

## AD ORATIONEM VI.

Vid. Plutarch. de sanit. tuend. Ulpian. l.  
 4. in fin. ff. de decret. ab ord. fac. Et l. 1. pr.  
 §. 1. ff. de extraord. cognit. Paternus in l.  
 fin. ff. de jur. immunit. Gothofred. ad l. 3. ff.  
 de cap. min. Et l. 32. l. 175. l. 209. §. l. fin. de  
 Reg. Jur. §. ibi Petr. Fab. Sueton. in vit.  
 Calig. cap. 8. Plin. lib. 29. histor. nat. cap. 1.  
 Diog. Laert. lib. 9. in Heraclito. Tacit. 6. an-  
 nal. cap. 46. Plin. lib. 2. Epist. ult. Dio lib. 69.  
 circa fin. Plin. lib. 22. hist. nat. cap. 24. Et  
 lib. 24. cap. 1. Et lib. 25. cap. 8. Et lib. 29. c. 1.  
 Mantuan. Eclog. 6. Martial. lib. 6. Epigram.  
 53. de Andragorâ. Catull. Epigram. 51. Con-  
 stantin. Imper. in l. 4. C. de malef. §. ma-  
 them. Galen. lib. 1. de compos. medic. cap. 13.  
 ubi regem suum Attalum, studiosum vocat  
 medicaminum omnigenorum. Camer. lib. 3.  
 medit. hist. c. 30. Paul. epist. ad Coloss. 4. v. 14.  
 Panormitan. ad c. 6. Extr. de stat. monach.  
 Erasmi. de laud. medic. Apul. lib. 4. florid.  
 Sleidan. lib. 21. Marsil. Ficini. de rat. vict.  
 salubr. pag. 391. Jos. Scalig. lib. 1. Epist. 19.  
 T 4 Gell.



## ALLEGATIONES.

*Gell.* lib. 19. cap. 2. *Plin.* lib. 26. *histor. nat.*  
 cap. 3. *Sueton. in August.* cap. 59. *Senec. E-*  
*pist.* 115. *Plin.* lib. 29. cap. 1. *Cominae.* lib. 9.  
 Et lib. 10. *Sleidan.* lib. 19. *Lans. orat. contr.*  
*Gall.* pag. 300. *Ulpian.* in l. 1. §. 1. ff. de  
*extraord. cognit.* *Bald.* ad l. 1. C. *manda-*  
*ti.* n. 3. *Duaren. oper.* pag. 1178. *Lucian.*  
*dial. Abdicatus.* *Cujac.* lib. 3. *recept.* *Paul.*  
*sent.* Et lib. 17. *observ.* 27. *Plato dial.* 4. de  
*legib.* *Callistrat.* in l. 2. ff. de *nund.* *Mar-*  
*quard. Freher.* lib. 2. *parerg.* cap. 16. *Taub-*  
*man.* *Plaut. Epidic. act.* 2. *scen.* 2. in *not.* n.  
 14. *Zaf.* ad *tit. de just. & jur.* n. 10. *Mode-*  
*stin.* in l. 6. §. 1. ff. de *Excus.* & ibi *Anton.*  
*Augustin.* lib. *singul.* pag. 307. *Petr. Fab.*  
 lib. 2. *semestr.* cap. 21. *Cujac.* ad l. 6. C. de  
*profess.* & *med.* *Gothofr.* ad l. 9. C. *eod.*  
*tit.* *Ludov. Viv.* in *not.* ad *Augustin.* de  
*Civit. Dei* lib. 3. cap. 17. *Tiraquel.* de *No-*  
*bilit.* cap. 31. n. 18. & 524. & c. *Petr. Fab.* ad  
 l. 209. de *Reg. Jur.* p. 799. *Rutgers.* lib. 4.  
*var. lect.* cap. 3. *Heinsius Orat.* edit. *poster.*  
 pag. 583. & *seqq.* *Cic.* lib. 13. *Epist. fam.* 20.

### AD ORATIONEM VII.

Quod de novis hospitibus & Legatis in  
*Orat. VII.* innuitur, intelligendum est de vi-  
 ris Nobiliss. & Consultiss. DN. SIGISMVN-  
DO.



## ALLEGATIONES.

DO- GABRIELE HOLTZSCHVERO,  
 Reipubl. Noribergens, tunc temporis Illu-  
 ro & provinciarum prefecto : Et HECTO-  
 RE- GVILIELMO AGVNDEROT Se-  
 natore, ac MAXIMILIANO FAVST ab  
 Aschaffenburg, Syndico Reipubl. Francofur-  
 tens, qui in Legatione ad Conventum Ratis-  
 bonensem, unà mecum, Altorfium transeun-  
 tes, actui isti interfuerunt, eumq; præsentia  
 suâ magnificâ splendidius exornarunt.

Quantum ad allegationes, vid. Tacit. in  
 vit. C. Jul. Agricol. cap. 3. Senec. lib. 3. nat.  
 quest. cap. 27. Aristot. lib. 7. Pol. cap. 14.  
 Vell. Paterc. lib. 2. cap. 11. Flor. lib. 1. cap. 5.  
 Et lib. 4. cap. 12. Polyb. lib. 1. Tacit. 2. annal.  
 cap. 64. Am. Marcellin. lib. 14. Contaren. lib.  
 1. de Republ. Venet. Cic. lib. 2. ad Att. E-  
 pist. 1. Cæsar. lib. 3. de bell. civ. Liv. lib. 23.  
 Buchan. lib. 5. hist. Scot. Flor. lib. 3. cap. 1.  
 Justin. lib. 24. cap. 5. Thuan. continuat. lib.  
 9. pag. 659. Vell. Paterc. lib. 2. cap. 5. &  
 ibi Acidal. in notis, & cap. 25. Erasmi. lib. 21.  
 Epist. 40. Et in Epist. dedic. paraphr. Evan-  
 gel. Marc. Comina. lib. 1. & lib. 3. Cassand.  
 consult. de artic. relig. Item Epist. Belg. se-  
 lect. cent. 1. Epist. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45.  
 46. Item ejusdem Cassand. consil. de offic. pij



## ALLEGATIONES.

ac publica tranquillitatis verè amantis viri,  
 apud Goldast. politic. Imperial. part. 28. n. 2.  
 p. 1291. & seqq. Thuan. lib. 36. Sleidan. lib.  
 1. 2. & 12. Dav. Chytr. Epist. pag. 945.  
 Eryc. Putean. histor. Insubr. lib. 3. pag. 167.  
 Salvian. lib. 4. 5. & 6. de gubern. Dei. Chry-  
 sost. homil. 1. in Esai. Naziazen. Orat. XV.  
 Gloss. Jur. Can. ad cap. 2. verbo, pacem. de  
 sent. & re judic. in 6. Lips. in notis ad Vell.  
 Paterc. lib. 2. cap. 131.

## AD ORATIONEM VIII.

Vid. Günther. Ligurin. lib. 1. p. 24. Sic de a-  
 lio cōventu Ratisbonensi maximo, quē habuit  
 Fridericus III. Imperator An. 1471. vid. Au-  
 gusti Patricij commentar. Et Joan. An-  
 ton. Campani Epist. ad Jacob. Cardinal. Pa-  
 piens. apud Goldast. politic. Imperial. part. 19.  
 pag. 814. & seqq. Ubi multa de Germanor.  
 comitijs & disceptationibus super session. præ-  
 rogativ. causisq; remorarum &c. Comina.  
 lib. 3. Dubrav. histor. Bohem. lib. 17. Cic.  
 Orat. pro Muren. Arumæ. de Comit. cap.  
 7. n. 91. Ane. Sylv. Epist. 72. & 92. Lips.  
 in not. ad lib. 3. politic. cap. 5. Tacit. de morib.  
 German. cap. 11. Arumæ. de comit. cap. 1.  
 n. 37. & cap. 5. n. 82. Sleidan. lib. 24.  
 Clapmar



## ALLEGATIONES.

Clapmar, de arcan. Rerumpubl. lib. 6. cap. 13.  
 Libell. de Stat. Imper. Rom. part. 2. pag. 254.  
 Comina, lib. 10. Thuan, lib. 27. Tacit. in  
 vit. Agricol. cap. 12. Item de morib. Germ.  
 cap. 11. Aur. bull. prafat. & cap. 12. Et ibi  
 Aruma, Item de comit. cap. 1. n. 7. Libell.  
 de Stat. Imper. Rom. part. 2. p. 233. & 242.  
 & 266. in fin. & seqq. Guntber. Ligur. lib.  
 1. pag. 12. Sueton. in Domitian. circa fin.  
 Aruma. discurs. publ. 1. vol. 2. Ulpian. in  
 l. 1. pr. ff. Ex quib. caus. maj.

### AD ORATIONEM IX.

Vid. Modestin. in l. 6. §. 7. ff. de Excusat.  
 Et Gordian. Imper. in l. 5. C. ad exhibend.  
 Cicer. 5. Tusc. Et Augustin. lib. 22. de civit.  
 Dei cap. 22. Sueton. in Galb. cap. 4. Et  
 Juvenal. sat. 5. Plutarch. de lib. educ. Cic.  
 lib. 7. Epist. fam. 28. Anton. Augustin. emen-  
 dat. pag. 279. Cic. Philippic. 3. Aristot. lib.  
 1. Ethic. cap. 8. Cic. lib. 5. de fin. Senec. de  
 vit. beat. cap. 23. Papinian. in l. 8. §. 4. ff.  
 de vacat. & excusat. Ulpian. in l. 1. §. 4. ff.  
 de extraord. cognit. Imperatores in l. 8. C. de  
 profess. & medic. Et l. 6. C. de muner. patri-  
 mon. Gell. lib. 9. cap. 2. Et lib. 13. cap. 8.  
 Et lib. 1. cap. 2. Cic. lib. 4. Acad. quest. Et  
 lib. 2. de divinac. Et lib. 2. Tusc. quest.  
 Plutar-



## ALLEGATIONES.

Plutarch. libell. Philosophand. esse cum prin-  
cipib. Nazianzen. Orat. VIII. Erasm.  
præfat. ad Joan. reg. Lusitan. ante Orat.  
Chrysof. tom. 8. Laurent. Vall. lib. 4. elegant.  
præfat. Augustin. lib. 1. de ordin. Thuan.  
lib. 35. Jos. Scalig. lib. 4. Epist. 434. Gell.  
lib. 15. cap. 19. Paul. epist. ad Coloss. 2. vers. 8.  
Actor. 17. vers. 25. & seqq. Nazianzen. O-  
rat. VIII. 1. Corinth. 15. v. 33. Ephes. 6. v.  
13. & seqq. ad Tit. 1. v. 12. ad Rom. 13. v.  
ult. & ibi Erasm. in annotat. 2. ad Timoth.  
4. v. 13. Phil. Melanch. Explic. Evang.  
part. 1. p. 587. Tertullian. quem allegat Go-  
thofr. ad l. 1. §. 4. verbo, Philosophia. ff.  
de extraord. cognit. Erasm. præfat. Jrene. que  
extat etiam lib. 28. Epist. 6. Et præfat. ad lib.  
Basil. de Spirit. Sanct. tom. 8. pag. 417.

## AD ORATIONEM X.

Vid. Alciat. vol. 6. præfat. Et proæm. lib.  
1. paradox. Et proæm. lib. 2. Et lib. 4. parere.  
cap. 1. & 7. Et lib. 5. cap. 26. Et lib. 9. cap. 21.  
Et præfat. Consil. Item Decian. apolog. cap. 1  
n. 9. & cap. 16. n. 15. Zas. ad l. 2. §. postea.  
n. 11. 13. ff. de orig. jur. Duaren. Oper. pag.  
1116. Erasm. lib. 20. Epist. 91. Et lib. 21. Epist.  
38. Et dialog. Ciceronian. pag. 848. Coras.  
lib. 7.



## ALLEGATIONES.

*lib. 7. miscell. cap. 6. n. 3. Eryc. Putean. hi-*  
*stor. Insubr. append. pag. 341. Gell. lib. 13.*  
*cap. 10. Cic. in Brut. Julian. in l. 13. §. 3.*  
*ff. de reb. dub. Et Aristot. lib. περὶ ἐμπνεύσεως*  
*cap. 8. Ex Poëtis, Philosophis & Oratori-*  
*bus, allegantur Jureconsultis nostris, Ho-*  
*merus in l. 1. §. 1. ff. de contrab. empt. Vir-*  
*gilius in l. 6. in fin. ff. de divis. rer. Plato in*  
*l. 2. ff. de nund. Aristoteles in l. 36. ff. de*  
*solut. Demosthenes in l. 2. pr. ff. de le-*  
*gib. Et l. 16. §. 6. ff. de pœnis. Chrysippus*  
*in l. 2. ff. de LL. Hippocrates in l. 12. ff.*  
*de stat. hom. Cicero in l. 2. §. 40. & 46.*  
*ff. de or. Jur. Et l. 8. ff. ad l. Jul. Maj.*  
*Et l. 39. ff. de pœnis. Theophrastus in l.*  
*3. & l. 6. ff. de legib. Seneca lib. 2. Feud.*  
*tit. 23. in quib. caus. feud. Quoad reliquas*  
*allegationes, vid. Cic. lib. 9. ep. fam. 7. Mar-*  
*cian. in l. 11. §. 1. ff. de pignor. Alciat. lib.*  
*2. dispunct. cap. 3. Ant. Fab. Rational.*  
*vol. 2. ad l. 10. §. 1. ff. de usu & habit. Et in Ju-*  
*risprud. Papinian. de Justit. & jur. princ. 3.*  
*confut. 2. Accurs. ad l. 4. ff. de bon. poss.*  
*secund. tab. Item ad l. 20. §. 1. ff. de annu-*  
*is leg. Item ad rubr. tit. ff. famil. hercisc. I-*  
*tem ad l. 2. §. 4. ff. de orig. jur. Et ibi Zas.*  
*Coras. lib. 3. miscell. cap. 22. n. 3. Anton. Go-*  
*vean.*



## ALLEGATIONES.

vean, lib. 2. var. lect. cap. 23. Bartol. ad l.  
1. ff. de oper. nov. nunc. n. 9. Et ad l. 34. ff.  
de V. O. Item ad l. 1. ff. de jurisdic. Zas. ad  
l. 2. §. post hunc, n. 42. ff. de orig. jur. Ac-  
curs. ad l. 35. ff. de legat. 3. Cunr. Rittershus.  
sacr. stren. An. 1602. Cisner. opusc. pag. 616.  
Cic. lib. 1. de legib. Ful. Cas. Scalig. Epist. p.  
27. Joseph. Scalig. poëmat. pag. 63. & 82.  
Zas. ad l. 2. §. post hunc, n. 23. 24. ff. de orig.  
Jur. Mel. Adam in vitis Jctor. Ger-  
man. vit. Zasij, Sichardi, Fichardi, E-  
hemij. Alciat. lib. 4.  
parerg. cap. 10.



COR.



## CORRIGENDA.

Pag. 77. lin. 14. de *Albuquerque*. Item  
lin. 16. & *Ferdinando*. Pag. 97. lin. 15. pro  
illi, illâ. Pag. 176. lin. 4. pro *tandem*, ean-  
dem. Pag. 280. lin. 13. 14. pro *remittor*, re-  
mitto. In princ. Ep. ded. pro *Nullum*, *Nullam*.

*Reliqua leviora, quæ nos vel properantes  
fugerunt, vel ab occupatis publicorum nego-  
ciorum mole, videri non potuerunt, æ-  
quus Lector ipse emen-  
dabit.*

F I N I S,





CORRIPIENDA

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S





Exzerpt

4



9 NOV. 1979







